

oteca
Sibiu 12

304


268

b24

florians

59

Q



SCIENTIA SECUM
QUÆ EST
CONSCIENTIA,
S E U
PROXIMA REGULA MORUM.

Cum adjunctis Thesibus
Ex Universa Theologia

BIBLIOTeca
ASTRA
SIBIU

A D M E N T E M
JOANNIS DUNS-SCOTI
DOCTORIS MARIANO-SUBTILIS,

Pro quibus

In Conventu Vetero-Claudiopolitano B. V. MARIAE ad Nives.

P R A E S I D E

P. F. JOACHIMO BOTAR, Ordinis Mi-
norum S. P. N. FRANCISCI Strictioris Observantiae,
SS. Theologiarum Lectore Ordinario,
Post decursum SS. Theologiarum quadriennium in arenam
descenderunt

PP. FF. MATTHÆUS Sükösd, & RAPHAEL BALÁS,
ejusdem Ordinis, & Instituti Religiosi, AA. LL. & Philo-
sophiarum Lectorum Candidati.

Anno à partu Virginis M. DCC. XXXV.
Mense Augusto, die

Eg.

CLAUDIOPOLI,
Typis Academicis Societatis JESU, per Simonem Tha-
dæum Weichenberg.

*Nōsse debet quivis utilem praxim
seipsum dirigendi juxta du<um su&e
conscienti&e, quam S. Gregorius se-
quentibus verbis declaravit: In o-
mni, quod dicitur, semper tacit&e
recurrere debemus ad mentem, &
interiorem testem, ac judicem re-
quirere ; quid enim prodest si o-
mnes laudent, & conscientia accu-
set ? aut quid poterit obesse, si o-
mnes derogent, & sola conscientia
defendat? Homil. super Ezech.*

D E D I C A T I O.

HONORI

ILLUSTRISSIMI
DOMINI, DOMINI

L O A N N I S
E R N E S T I
LIB. BARON. à POELNICZ &c.
Domini Patroni Gratiostissimi, Colen-
dissimi dicata.

Illustriſſime Domine, Domine Patrone,
ac Mecænas Gratiostissime !



Uid mirum censeri debet ILLUSTRISSIME
D.D. MECOENAS GRATIOSISSIME,
quòd proditura publicam in lucem Scientia
opitulatrici dexteræ TUÆ primordii sui vi-

DEDICATIO.

ces committat , quam clarissimæ Avitæ TUÆ florens
Prosapia ab incunabulis ortus sui Secum enutritivit ; cujus
ministerio in honorata quæque dignitatum subsellia subli-
mata floruit : nam etsi à TE MECOENAS GRATIOSIS-
SIME tantisper aversus ad tempora retrospexero sœcula-
ria , quibus per excelsos dignitatum gradus Inclyta TUA
absque nævo Familia viguerit , copiosum valdè veritati
subministratur argumentum : quæ à nongentis quinqua-
ginta , & amplius annis , complures Orbis oras luce cla-
ritatis suæ illustravit . Primus siquidem Avitæ TUÆ stir-
pis surculus Bruno à Pœlnicz anno reparatæ salutis 950.
in Germaniam ex Svecia veniens August. Rom. Imperato-
ris Ottonis I. Italicam expeditionem contra Beringerium
gloriosè exequens , ob res fideliter gestas , in Equitem Ro-
mani Imperii enectus est ; cujus posteritas ad annum us-
que 1315. in Saxonia superiori , & Franconia , tantâ pru-
dentia , ac sapientia , tanta autoritate scientiæ foederata ,
virtute propria partis enituit ; ut Ludovicus à Pœlnicz
tunc temporis Mediatorem egerit , pacemque constituerit
Marchionem Misiniæ Fridericum inter & Vogtlandiæ Co-
mitem à Reüffen . Joannes à Pœlnicz 1430. contra sic di-
ctos Hussitas , ex Bohemia Saxoniam invadentes urbem
Plaviam , dum ab obsidione liberandam suscepit , Pugil
martialis multis cum militibus gloriosus occubuit . Año
1506. Henricum à Pœlniez Serenissimus Saxoniz Elector ,
ob

DEDICATIO.

ob insignem judicij maturitatem, à Consiliis intimis, ac Aulæ Marschallum constituit. Nec Maximilianum Rom. Imp. ejus sapientia latuit, à quo ob eandem, Imperii Liberi Baronis decore illustratus est. Quid de sobole ejus Lib. Barone Broncrato à Pœlnicz referam, qui Paternis vestigiis inhærens *Scientiam secum* deferens, mira, ac varia diligenti studio conscripsit opera? Quid de Joanne L. B. à Pœlnicz Serenissimi Electoris Saxonie Aulæ Marschallo? Quid de ejus filio Joanne Georgio L. B. à Pœlnicz Consiliario Intimo, & Ratisbonæ Saxonie Electoris legatione fungente, Viro ob insignem scientiæ peritiam, miramque in politicis notitiam, ab omnibus ejus ævi proceribus, ac Principibus sumo in honore habito, quem nefarius famulus proprius, noctis silentio in præjudicium totius populi anno 1613. interfecit? Quid de Joanne Ernesto ejus filio L. B. à Pœlnicz Copiarum Brandenburgicarum, Vigiliarum Præfecto Generali, & Camerario, ac Mindensis Fortalitii Commandante strenuissimo referam? Quid de Bernardo à Pœlnicz Serenissimi Electoris Saxonie Consiliario Intimo, simûlque Cancellario? Quid de Joanne Brunone, ejusdem Illustrissimæ Familiae propagine, anno 1679. Electoris Saxonie Camerario, supremæ sedis Judiciariæ Jenensis Præside? Num silentio præterire possum Wilhelmum Ludovicum Equitum Brandenburgicorum Colonellum? Aut Fratrem ejus Ordinis

DEDICATIO.

dinis Maldaviensis Equitem? Vel filium ejus Ludovicum Ernestum à Pœlnicz L. B. Intimi Consilii Præsidem, nec non Electoris Saxonie Cancellarium, temporibus Joannis Georgii III. & IV. Saxonie Electorum, Virum sapientiae claritate Illustrissimum? Sed quid ego horum omnium heroicis, ac omni radiantibus splendore operibus considerandis imbecilli calamo inhio, qui vix rudi stylo TUA in nos præstata merita valeo adumbrare? Non referam igitur Mauritium Wilhelmum Marchionis Columbacensis Consiliarium Intimum, ac Aulæ Præfectum anno salutis 1719. vitâ funetum. Præteribo Fridericum Carolum L. B. Serenissimi Ducis Martisburgensis Aulæ Marschallum, ac Supremi Capituli Misnensis Decanum. TE verò L. B. JOANNEM ERNESTUM Mecœnatem Gratiostissimum præterire non volo, nec valeo, qui in Belgiiis adversus Regis Gallie exercitum inter auxiliares copias Saxonie, haud ignobiles Marti detulisti primitias; ast ubi utriusque exercitus Principes fœdere statuto, spem omnis triumphi præcidissent, Sac. Imp. Majest. in regimine tunc Excell. Martiniano, hodie verò Excell. Comitis Generalis Veterani tam à gestis, quam antiquitate florentissimi, nomen militie dedisti maximo omnium applausu, eximiâque complurimorum spe concepta capessendorum ab hoste Ottomanico spoliorum. Docuit id ipsum tredecim annorum decursus, cùm gloriosus per honori-
ficos

DEDICATIO.

ficos militiæ dignitatis gradus, ob victorias à barbaris hostibus reportatas scanderes. Ultricibus heu quoties sclopetis in obsidionibus, ac Præliis Petrovaradinensi, & Temesvarensi (ubi etiam pereñe ILLUSTRISSIMI NOMINIS signaculum, super sinistram pectoris partem imperterritō animo acceperas) hostium copias fudisti ! Quid de Prælio, & obsidione Bellogradensi, in qua, uti & in omnibus aliis adeò viriliter adversæ cohorti arma intulisti, ut Catafractorū Capitaneatū munere dotatus fueris. Verùm altioris adhuc Ilustrissimæ Familiæ TUÆ Cæreos veneraturæ spes protogativæ in TE fulgebat, quam haud dubio dudum TIBI delatam præsens aggratulando sæculum miraretur ; si non superis aliter disponentibus, ab Ottomanica rabie inflicta cicatrix novo vulnere resurgens, sanitatis, ac ipsius etiam vitæ spem eriendo, militiæ baltheo nuntium mittere cœgisset. Sed quid TIBI tam mirabile visu, quod in Provinciam Daciam fixurus domicilium appuleris ? ubi Paternæ Virtutis, & sapientiæ tanto TE minus degenerem, quantò Majores TUOS, & æmula Nominis celebritate, & meritorū gloriæ Illustres licet intueri ; ubi in TE tanquā in absoluta idæa Majorum TUORUM dotes licet admirari. Ubi scientiâ, ubi sapientiâ, morum probitate omnium corda devinxisti. Devinxisti sive innata animi dote, sive consilii maturitate, sive prudentiâ, sive experientiâ, sive gravitati sociata svavitate, sive omnibus in TE fulgentibus singulorum affectus in

TUAM

DEDICATIO.

TUAM rapuisti admirationem , simul, ac amorem. TE
prædicat mira in rebus œconomicis liberalitati conjuncta
prudentia. TE singulos, & nos præsertim præveniens ho-
spitalitati maritata munificentia. TE in rebus politicis dex-
teritati foederata experientia prædicant, simul ac co-men-
dant. Quid porrò Mecœnas Gratosissime inter Illustres a-
deò Nominis TUI splendores cum obscuris hisce solùm pa-
gellis, luci publicæ coñissis TUA, quæ in nos decumana
defluxere beneficia , depraedicabimus ? Num hanc solùm
Thesum nostrarum tenuem opellam, ILLUSTRISSIMO
TUO sacratam honori, in gratissimū animi nostri argumen-
tum, in perpetuū obsequii pignus, in gratitudinis nunquam
emorituræ anathema appendemus ? Absit. Plus ultrad.
Tantò námq; ardentiùs mille Cœlo vota intendere, tantò
ferventiùs, & frequentiùs superis Libamina litare non de-
sistemus, ut pro ILLUSTRISSIMÆ Avitæ TUÆ stirpis
gloria, pro emolumento Patriæ, pro firmissimo egenorum
fulcimento in columem, ac sospitem conservet, qui tot pe-
riculis vix naturæ viribus evitabilibus eruptum in solamen
Provinciæ nostræ nobis TE donavit ; quantò uberiori spe
pleni , quòd uti ante hac, ita & in futurum Benevolen-
tiæ TUÆ favoniis nos spiritu pauperes refrigerandos con-
fidimus, Vale.

Ita vovent

Devotissimi Clientes

FF. PP. MATTHÆUS Sükösd,
& RAPHAEL BALÁS.

CENSURA THEOLOGICA.

Orthodoxæ Fidei, & morum regulis per omnia consonans Libellus hic, cui titulus *Scientiasecum*, cum magna industria, & maturitate elaboratus à R. P. Joachimo Botár Ord. Min. Strictioris Observantiae SS. Theologiæ Lectore actuali, & Provinciæ Secretario: ut numeris desideratis planè absolutus, ac in lapide angulari doctrinæ Subtilis Doctoris bene fundatus, pro magno legentium emolumento, in publicam lucem quocius prodeat, dignum judico. Datum in Conventu Claudio-politano B. V. MARLÆ ad Nives. 30. Martij 1735.

Fr. CAROLUS LENGYEL
SS. Theologiæ Lector actualis.

ALIA CENSURA.

Libellus iste, cui titulus *Scientiasecum* à R. P. Joachimo Botár Ord. Nostri, SS. Theologiæ Lectore actuali, & Provinciæ Transylvaniæ Secretario conscriptus, non solidè duntaxat, & orthodoxè, sed clarè admodum, nervosè, & gratiosa brevitate in se continet, quod præsefert, & in fronte proponit. Dilucide siquidem ostendit *Scientiamsecum*, seu *Conscientiam* homini Viatori esse Judicem, Consiliarium optimum, Advocatum, Medicum tam spiritualem, quam corporalem; item Testem fidem, juxta illud 2. Corinth. I. v. 12. *Gloria nostra hac est, testimoniis*

monium conscientiae nostræ. Et D. August. De cætchizandis ru-
dibus cap. 16. in fine pag. 649. atq; jucundiūs
est gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de
mala inter delicias. Ut proinde regēdis Lectorū actionibus detervire
queat, luce publica dignum censeo. Nomenclationem tamen
illius, relatè ad me, & quemcunque alium libello hocce usu-
rum, cum venia Authoris immutandum arbitror, & dicendum:
Scientia mecum. Quilibet enim honestè, & juxta dictamen re-
ctæ conscientiæ volens operari, antequam ad electionem opera-
tionis procedat, sic conscientiam suam alloquatur oportet: *Si*
venis mecum, vadam; *si nolueris venire mecum, non pergam.*
Judic. 4. v. 8. Si remonstraveris mihi actionem hanc, quam
meditor, esse honestam, exercebo. Si secùs abstinebo. In Con-
ventu Cibiniensi, ad S. P. Franciscum. 19. Martij 1735.

Fr. ALEXIUS CSATO
SS. Theologiæ Lector Generalis.

FACULTAS
Admodum Reverendi Patris Ministri
Provincialis:

Cum opusculum quoddam, cui titulus præfixus est, *Scientia-*
secum à Te R. P. Joachimo Botá SS. Theologiæ Lectore
actuali, & Secretario Provinciae Transylvaniæ S. Regis Stephani,
Ord. Min. Strictioris Observantiæ perdoctè compositum, at-
que à duobus Provinciae Lectoribus excussum, approbatumque
fuerit, ut preli beneficiō luci, ac utilitati publicæ exponi possit,
harum serie facultatem tibi impertimur, ut illud servatis per o-
mnia

mnia servandis imprimi curare valeas, ac possis. In quorum
majorem fidem sub consyeto officii sigillo manu propria subscri-
psimus. In Residentia Nostra Deesiensi ad S. Antonium, die 13.
Aprilis. Anno 1735.

Fr. PAULUS GYÖRFFI
Minister Provincialis.



A P P R O B A T I O
Illustrissimi, Reverendissimi, ac Excel-
lentissimi Domini Ordinarii.

Ego GREGORIUS L. B. à SORGER, DEI, & Apostolicæ
Sedis Gratiâ EPISCOPUS Transylvaniæ, Sacrae Cæsareæ,
Regiæque Catholicæ Majestatis, Statûs, & Excelsi Regii Guber-
nij in Transylvania, Actualis Intimus Consiliarius &c. Libellum,
cui Titulus: *Scientias cum à Reverendo P. Joachimo Botár Ord.*
Min. Strictioris Observantiae, SS. Theologiae Lectore actuali, &
Provinciae Transylvanicæ Secretario conscriptum, & bene funda-
tum, ac à Deputatis ejusdem Ordinis Minorum Strictioris Ob-
servantiae, pro censura Theologica Lectum, & approbatum Ty-
pis mandari permitto; In cuius rei fidem, has Literas manu pro-
pria subscripsi, consuetoque officii sigillo munitas dedi, Caro-
linæ die 12. Maii. Anno Domini 1735.

BARO GREGORIUS SORGER
Episcopus Transylvaniæ.

A D L E C T O R E M :

Duo tibi erant, & sunt necessaria *Lector benevole*: ait S. Gregorius *Hom. i. supra Gen.* nempe conscientia, & fama: hanc possidendo tenes, si illam ut regulam actionum tuarum aversando non fugeris; fugere nequis: quia & tibi, & cuivis alteri est *Scientiam secum*. Nam homo malæ conscientiæ fugiat à suburbio ad urbem, ab agro ad civitatem, à publico domum, domò in cubiculum, ubique locorum experitur pedissequam propriam conscientiam, seu sui cordis *Scientiam secum*. A cubiculo jam quò fugiat non habet, nisi interiùs ad cubile suum, ubi jam scientia de propriis factis est domi; seu *Secum*. Porrò si hic tumultus, & flama sceleris est, non huc potest confugere; pellitur enim hinc, & cù pellitur à seipso pellitur, & simul à seipso recipitur quocunq; declinet, quo declinaturus est, regulā factorū suorum, seu *Scientiam* eorum trahit *Secum*. Si verò in cubili reperiatur tranquilitas, & securitas, pariter inde conscientia exturbari nescit: sed velut *testis fidelis Prov. i2. v. 21.* de actibus hominis testatur, judicat, laudat, nec ullò mediò se corrumpi, aut perverti, aut expelli à quovis finit: quia est *Scientiam secum* cuius. Non mirare igitur *Amice Lector* super insolitam Libelli nomenclationem *Scientiam secum*, sed potius utere eâ in omnibus tuis operibus: rectè utendo non modò nomen, famamq; servasti, verum & vitam vives æternam; secùs morieris: nam omne, quod non est ex Fide, peccatum est *Rom. i4.* hoc est: quidquid non procedit ex dictamine bonæ conscientiæ, seu ex persuasione ejusdem, quòd fiat licite, peccatum est, peccatum autem generat mortem: Jacobi *i.* hanc non incurres, si conscientiam tuam, seu regulam actionum humanarum non excurreris. Vale.

ELEN-



E L E N C H U S Q U Ä S T I O N U M.

Q U Ä S T I O I.

De Conscientia . seu proxima Regula morum.

S E C T I O I.

Quid , & quotplex sit Conscientia ?

Pag. 1.

S E C T I O I I.

Utrum ad omnem actum bonum , aut malum necessariò requiriatur judicium aliquod Conscientiae ?

pag. 4.

S E C T I O I I I.

De Conscientia erronea.

p. 9.

S E C T I O I V.

Quid , & quotplex sit Conscientia dubia ; & an ea stante honeste operemur ?

p. 17.

S E C T I O V.

De Conscientia scrupulosa.

p. 25.

Q U Ä S T I O I I.

De Conscientia probabili , & opinionum probabilitate.

S E.

S E C T I O I.

Quid sit, & quid requiratur, ut opinio aliqua dicatur probabilis ?

pag. 28.

S E C T I O I I.

Utrum possit simul eidem intellectui apparere probabilis utraque pars contradictionis, & movere ad prudentem alterutrius assensum ?

p. 33.

S E C T I O I I I.

An omnis opinio probabilis, sit eō ipso practicè probabilis ?

pag. 43.

S E C T I O I V.

An sit licitum sequi sententiam minus tutam, minusque probabilem, in concursu probabilioris, & tutioris ?

p. 53.

S E C T I O V.

De modo formandi ultimum dictamen Censcientiae secundum sententias minus probabiles.

p. 66.

Q U Ä S T I O I I I.

An Conscientia probabilis fit sufficiens Regula actionum humanarum, cuivis Viatori, in quovis statu?

S E C T I O I.

De Regibus, Ducibus, & Superioribus Provincialibus. p. 69.

S E C T I O I I.

De Consiliariis.

p. 72.

S E C T I O I I I.

De Judice.

p. 76.

SECTIO

SECTIO IV.

De Advocato.

pag. 80.

SECTIO V.

De Medico spirituali, & corporali.

p. 85.

APPENDIX SUPERADDITA.

De Mutuo, & Usura.

Historia de duobus usurariis stupendæ.

pag. 90.

SECTIO I.

Quid sit mutuum?

p. 91.

SECTIO II.

Quid sit usura, & quale peccatum?

p. 94.

SECTIO III.

Quo jure prohibitus sit contractus usuræ?

p. 98.

SECTIO IV.

An dentur aliqui tituli, vi quorum ex mutuo possit aliquid accipi, seu interesse ultra sortem absque vitio usuræ? p. 101.

SECTIO V.

De titulo secundo, seu damno emergente ex mutuo. p. 108.

SECTIO VI.

De titulo tertio, seu periculo sortis amittendæ

p. 111.

SECTIO VII.

Utrum ob parentiam pecuniae, vel dilationem solutionis, aut obligationem non repetendi ante certum tempus, possit aliquid exigiri? p. 114

SECTIO

S E C T I O V I I I.

An in mutuo poena conventionalis locum habeat? pag. 118.

S E C T I O I X.

An mutuator ex pignore perceptos fructus teneatur in sortem computare? p. 120.

S E C T I O X.

Quæstiunculæ quædam resolvuntur. p. 124.

S E C T I O X I.

Quænam sint poenæ in usurarios ordinatæ? p. 127.

S E C T I O X I I.

Quid intelligatur per montes pietatis, & an sint liciti? p. 129.

S E C T I O X I I I.

Quid. quotplex, & an lícitè exerceatur Cambium? p. 131.

S E C T I O X I V.

An Societas sit licita? p. 134.

S E C T I O X V.

Summa titulorum aliquid lucrandi ultra sortem ex mutuatione. p. 138.



QUÆ-



QUÆSTIO PRIMA.

De Conscientia , seu proxima Regula morum.

Conscientia , quæ dicitur actionum humana-
rum regula proxima , ad distinctionem na-
turæ rationalis , quæ earumdem actionum eri-
am dicitur regula , sed remota ; considerari
potest dupliciter , 1^o quatenus sequitur actio-
nes humanas . 2^o quatenus eas præcedit : prout sequitur vel ac-
cusando tanquam malefacta , dicitur *Remorsus conscientie* , vel
commendando tanquam benefacta , & dicitur *Testimonium con-
scientie* . 2. Corinth. 1. Prout autem præcedit , dicitur esse bo-
nas , vel malas ; & ideo dicitur instigare . Licet autem sub utró-
que respectu appelletur conscientia , tamen communius sumitur
secundō modō , id est prout actiones nostras antecedit , saltem
ordine naturæ . Agimus autem de illa , prout influit tanquam
regula proxima in actionem faciendam , vel omittendam .

SECTIO PRIMA.

Quid , & quotuplex sit Conscientia ?

Nota . Conscientiæ , quam Gregorius Nazianzenus *Domesti-
cum & verum Tribunal* appellat , munia duo sunt ; nempe
dicta-

dictare, quid agas: & judicare quid egeris. Primam sui munieris partem exequitur, cum in malefacta inquirit, ad ipsum Christum Dominum, aut ejusdem legitimos Vicarios, cum vero cordis dolore, & proposito de cetero non malefaciendi, defenda. Alteram officii curam exercet, dum voluntatem ad opus accinctam docet, & dirigit tanquam proxima, & formalis Regula morum. Hoc notatō.

2 Dico: Conscientia est actus, seu judicium practicum intellectus, dictans aliquid, quod hic & nunc est agendum, vel fugiendum. Ita communis sensus DD.

Dicitur 1. *Actus intellectus*: unde quando Hebr. 9. legitur: *Emundabit conscientiam nostram.* Conscientia sumitur impropriè, scilicet pro voluntate, quæ coinquiatur per peccatum: vel etiam dici potest, quod accipiatur pro peccatis in ea latentibus; quo sensu dicimur: *Examinare conscientiam, explicare conscientiam legitimo Confessario.* Quod autem sit actus intellectus; patet ex Patribus: nam ab Origene in Epist. Rom. c. 3. vocatur *Spiritus, Corrector.* A Damasceno lib. 4. orthodox. Fid. c. 23. *lex mentis;* à Bernardo lib. de conscienc. c. 7. *Quasi cordis scientia,* deinde Eccles. 7, legitur: *scit conscientia tua, quæ tu crebro maledixisti,* sed scire est actus intellectus, ergo.

3 Nec dicas: conscientia dicitur bona, vel mala, juxta illud Rom. 13. *Confidimus enim, quod bonam conscientiam habeamus,* sed esse bonum, vel malum competit voluntati, ergo. R. enim distinguendo maj. conscientia dicitur bona, vel mala formaliter nego, denominative, seu regulative, in quantum dirigit opera bona, vel mala, c. maj. & sub hac dist. c. min. n. con.

Dicitur 2. *Dictans aliquid quod hic & nunc &c.* ad distinctionem synderesis, quæ est etiam de agendis, sed non hic & nunc.

4 Ex quo colliges, potissimum discriben inter conscientiam, & synderesim in hoc consistere, immo quod conscientia sit actus, synde-

synderesis autem habitus, quamvis etiam sumi possit pro actu à tali habitu procedente. 2dò synderesis versatur circa principia practica universalia, & indeterminata v.g. Virtus est amplectenda, vitium fugiendum, DEUS colendus, Parentes honorandi, nemo laedendus, jus suum cuíque tribuendum, &c. sicq; non potest proximè, & immediatè actus nostros regulare.

Conscientia autem applicat illa principia ad materiam determinatam, & hoc mediante syllogismo, in quo infert conclusionem v.g. Virtus est amplectenda, sed castitas est virtus, ergo castitas hinc & nunc est amplectenda. E contrà, vitium est vitandum, sed luxuria est vitium, ergo luxuria hinc & nunc est vitanda, ubi synderesis facit majorem, ratio, seu potentia ratiocinans minorem & conscientia conclusionem.

Tertiò synderesis est quidem regula intrinseca actuum humatorum, sicut conscientia, sed magis remota; cùm non nisi universaliter nobis legem proponat; conscientia autem licet sit regula secundaria, quatenus à synderesi dependet, est tamen proxima, & immediata, cùm in particulari nobis legem applicet.

Quartò synderesis est regula infallibilis, ut adverbit Scotus 2. dist. 39. quia nempe versatur circa universalissima principia agendorum, quæ sunt per se nota; conscientia verò regula fallibilis, ut patet in eo, qui credit sibi licere mentiri ad salvandam proximi vitam. Cujus ratio est, quod potentia ratiocinans, & conscientia ab informatione erronea delusa, aut rationibus apparentibus præventa, malè applicent principia universalia. Unde sitam execrandi errores in hominum mentes irrepserint, ut Jovem adulterū, Bacchum ebriosum, Venerem impudicam, pro Diis habent; errores hujusmodi non ex synderesi, cuius judicium est immutabile, & principia sunt per se nota. sed conscientia rationibus speciosis cauteriata provenerunt.

⁵ Conscientia dividitur 1mò in practicam , & speculativam, speculativa dicitur judicium affirmans, vel negans aliquid de objecto ut præciso à circumstantijs, cum quibus in executione necessariò conjungitur, v. g. si affirmem, aut negem contractum esse licitum. Hoc judicium si conforme sit objecto morali, dicitur verum speculativè, falsum verò, si sit difforme.

Conscientia practica, est illud judicium, quod affirms, vel negat aliquid de objecto morali prout vestito omnibus circumstantiis, cum quibus in praxi conjungitur. Conscientia practica à multis subdividitur in speculativè practicam, & in practicè practicam : illa versatur circa actiones humanas in communi, præscindendo à circumstantiis particularibus, ut cùm judicamus suum cuilibet tribuendum. Quod iudicium, ut vides, proximè nos non dirigit, sed remotè. Practicè practica versatur circa actiones humanas sumptas in particulari, cum omnibus circumstantiis, easque dictat hic, & nunc faciendas, aut fugiendas, v. g. hoc particolare bonum hæreditate occupatum esse restituendum, vel retinendum, & proximiè regulat actiones humanas.

Dividitur 2dò, Conscientia in certam, veram, seu rectam, ignorantem, erroneam, dubiam, probabilem, scrupulosam, directam, & reflexam, de quibus in sequentibus.

SECTIO SECUNDA.

Utrùm ad omnem actum bonum , aut malum necessariò requiratur judicium aliquod conscientiæ ?

⁶ **N**ota: Ab aliis præsens quæstio sic proponitur: An, & qualis influxus conscientiæ regulativæ requiratur in actus malos, & bonos, quem secundum communiorem sententiam judio non esse physicum, sed moralem in hoc situm, quod nullus possit

possit esse actus honestus, vel turpis, cui non sit adjunctum judicium dictans illum esse honestum, vel turpem. Difficultas autem præcipua est, an, ut hæc cognitio proponens honestatem, vel turpitudinem actus, influat in illum moraliter, debeat esse iudicativa vera, & certa, vel sufficiat apprehensiva, dubia, suspiciosa &c. & quidem si dicitur aliquid esse malum moraliter in genere, nihil proponendo de illius levitate, vel gravitate. hōc not.

Dico 1mō. Nullus actus potest esse bonus, vel malus moraliter, nisi conscientia dicit esse bonum, vel malum, vel saltem continere periculum peccati. Ita communis Theologorum cum Arist. 2. Eth. c. 4. Ratio est: quia nemo dicitur benè, vel male agere, nisi liberè velit, sed liberè velle, aut malum, aut bonum non potest, nisi prævio conscientiæ dictamine, ne voluntas dicatur ferri in incognitum, & hæc est ratio, cur pueris, & amentibus tribui non possit peccatum, quia scilicet deficit cognitio honestatis, vel turpitudinis; ergo.

Dico 2dō. Ut actus aliquis evadat moraliter honestus, requiritur judicium practicè moraliter certum; ut verò sit malus moraliter sufficit cognitio dubia, vel suspicio illius. Ita Scotus 2. dīsp. 39. q. 2. §. ad quæst. Istat. & Svarecz Tract. 3. dīsp. 12. cum communiori contra Vasquez &c. quos sequitur Isquierdo dīsp. 35. n. 31. Ante probationem.

Nota conscientiam dupliciter certam esse posse, speculativè scilicet, & practicè, speculativè certa est, cui non potest subesse falsum, practicè certa, cui potest subesse falsum, sed communis tamen in eo adhibita est diligentia, qualem communiter in negotiis adhibent sapientes. Unde rectè notat Sanchez lib. 2. de Matrim. dīsp. 41. sàpè contingere, ut conscientia practicè vera, sit speculativè falsa, & è contra. Sic Jacob Lyam suam esse existimans, judicabat accessum ad eam esse licitum, quod iudicium

dicum practicè verum erat , falsum verò speculativè , cùm revera non fuerit sua . Unde .

9 Nota ulterius , veritatem speculativam formalem desumi à conformitate cum objecto , veritatem verò practicam , seu moralē non : nam hæc desumitur à conformitate cum principiis nivensalibus moralibus pertinentibus ad synderesim , quam diximus num . 4 . habitum cognoscitivum principiorum universalium , unde conclusio , quam Jacob deduxit saltem virtualiter ex principio universali : accessus ad uxorem propriam est honestus , sed hæc , scilicet Lya fraudulenter Rachelis loco substituta est mea , ergo accessus ad eam est honestus ; Hæc inquam conclusio speculativè est falsa , cùm minor assumens principium majoris sit difformis objecto , non tamen est falsa practicè , seu moraliter , sed vera , quia spectatis circumstantiis , in quibus nulla prudens suspicio poterat de fraude Laban incidere Jacob , aliud prudenter judicare non poterat , idcirco hoc judicium particulaire conforme est principio illi universalī vero , quotiescumque spectatis omnibus , non apparer uxor aliena , prudenter , & licet judicatur propria : unde conclusio practica , seu conscientia regulariva accessus ad Lyam , sit quidem speculativè falsa , practicè tamen vera ; & talis est omnis conscientia invincibiliter erronea . Quod si tamen Jacob incidisset prudens suspicio de fraude socii , aut vir gravis de ea monuisset , & sine præmisso diligentē examine , an revera hæc sit sponsa promissa à Laban , judicasset esse suam , & conclusisset accessum ad illam esse honestum , tunc hæc conclusio fuisset falsa tam speculativè , quam practicè , utpote difformis tam objecto , quam principio universalī pratico (& talis est omnis conscientia vincibiliter erronea) fecūs verò dicendum , si post diligens examen fraudem nullam deprehendisset .

Probatur jam 1 . pars conclusionis : quia si requireretur ad hoc nestas-

vestatem actus judicium speculativè certum, cui subesse non posse falsum, sequeretur quod vix ullus unquam operaretur honestè, quia hujusmodi certitudo est verè simpliciter impossibilis, ergo requiritur judicium solum practicè, & moraliter certum, cui subesse quidem falsum possit, adhibita tamen sit diligentia, qualem sapientes in negotiis suis adhibere solent: tenet ut tamen quilibet vitare periculum peccandi, quantum potest, atqui si practicè non sit certus male se non operari, exponit se periculo peccandi, nam si certus non sit abesse periculum, hoc probabiliter adest; sed operans cum probabili periculo peccandi, peccat, quia verba illa: *qui amat periculum peribit in illo*: intelligenda sunt etiam de probabili periculo: nam sicut bonum ex integra causa, sic malum ex quolibet defectu. Deinde nemo operatur in negotiis prudenter, nisi adhibeat moralem diligentiam, ergo neque bene operari moraliter potest, nisi eandem adhibeat diligentiam, sed hæc adhibita facit moralem certitudinem; ergo.

Ratio 2. partis est, quia exponere se voluntario periculo peccandi, est peccatum, sed operans cum cognitione dubia, vel suspicione, vel formidine de malitia, exponit se periculo peccandi, ergo ad actum malum sufficit cognitione dubia, suspicio, vel formido de malitia.

Nota hæc ex Isqui. de DEO disp. 35. cognitionem dupliciter con- 10
ducere ad moralitatem, 1^{mo} in ratione propositionis, seu representationis, qualiter semper est necessaria, cum alias actus non sit imputabilis. 2^{do} in ratione circumstantiæ, cognitione dubia, suspiciosa, vel formidolosa in ratione propositionis saltē ad moralitatem honestam non sufficit, quia est debilior in representatione, quam probabilis, hæc autem ex prima probatione non sufficit, ergo minus illa. Sufficit tamen in ratione circumstantiæ: quia est antecedens, reddens actum periculosum, adeoque; si advertat operans ad hoc periculum, nec deponat per judicium contrarium,

trarium, malè operabitur juxta gravitatem malitiæ propositæ, aliis propter inadvertentiam excusabitur, ut habet citatus Auctor, quamvis, ut bene monet, vix abscondi possit talis circumstantiæ advertentia, cùm talis cognitio per experimentalem sui notitiam, seipsum notificet operanti. Ex hoc.

11. Colliges imò. Ad bonitatem, vel malitiam moralem non sufficere solam cognitionem apprehensivam: quia, ut voluntas efficaciter feratur in objectum, ut tale, debet certificari de illo, quòd sit tale, sed per cognitionem apprehensivam non certificatur, sed potius nescit, quale sit, cùm apprehensio sit indifferens, ut objectum sic se habeat, vel non habeat prout apprehensum est, ergo cognitio apprehensiva non sufficit.

Colliges 2. Motus primò primos in quacunq; materia, primò quoscunq; indelibertos non esse peccatum, cùm non adsit cognitio malitiæ. Hinc licet quis diutiùs hæreret in affectu rei malæ, si desit advertentia ad malitiam, non peccaret.

Colliges 3. Si quis occideret hominem advertens ad malitiam homicidii, sed non ad ejus circumstantias, v. g. quòd sit Clericus, vel consanguineus, non committeret, nisi purum homicidium, idem est de aliis.

12. Dico 3. Actio, quæ fit independenter à conscientia practica distante illam esse malam, sed cum præcisione ab omni quantitate malitiæ, id est nec gravem, nec levem proponendo, si nulla occurrat cogitatio an gravis, an levis sit, erit venialis solum; si autem tale dubium occurrat, & operans illud non deponat, erit mortalis. Est Scoti 4.d.5.q. 3. §. *juxta hoc.*

Ratio primæ partis est, quia peccatum non potest fieri majus, quam dictetur à conscientia tanquam proxima Regula morum, sed cùm cogitatur malitia tantum communis mortali, & veniali, conscientia non dictat malitiam majorem veniali; ergo malitia non potest esse major veniali.

Ratio secundæ partis est, quia operans cum periculo incurriendi grave peccatum, graviter peccat, si advertat ad tale periculū; ergo.

SECTIO TERTIA. De Conscientia erronea.

Conscientia erronea est actus intellectus indicans bonum. esse 13
quod malum est, aut ē contra. Hæc aut vincibiliter, aut invincibiliter talis est: Invincibiliter erronea dicitur ea, quæ adhibitā morali diligentia seu ordinariis naturæ viribus deponi non potest; quæ autem humanō modō, & adhibitā tali diligentia deponi potest, vincibiliter erronea erit. Hæc alia est crassa, & alia affectata. Ad hanc reduci possunt conscientia Pharisaica, quæ magna parvi, & parva magnificat, culicem excolans, camelum autem deglutiens. Matth. 23. Cauterianta, quæ ita obduruit, ut vulnus suum non sentiat, qualem habent nonnunquam consuetudinarii. Laxa, quæ gravia crimina parvi, & culpas veniales nihil facit. Et Hypocondriaca, quæ ex principiis stultis, & ridiculis eruitur; & ideo dicitur delirium partiale. Hoc positō.

Dico 1mō. Si conscientia sit invincibiliter erronea, contra 14 illam agere semper est peccatum, & quidem illius speciei, & gravitatis, in qua esse putatur. Est Scoti in 4. dist. 5. q. 3. §. iuxta bæc

Probatur ex illo Rom. 14. Omne, quod non est ex Fide peccatum est. Quem locum Patres apud Vasq. hic dist. 59. c. 2. & scholastici communissimè exponunt de conscientia, ut sensus sit: omne illud peccatum est, quod non est conforme judicio conscientiæ; seu quidquid non procedit ex persuasione conscientiæ, quod fiat licet, peccatum est.

Probatur 2. quia voluntas non aliter fertur in objectum, nisi prout proponitur ab intellectu, sed ut supponit casus, intellectus

invincibiliter errans proponit objectum ut malum moraliter, ergo voluntas fertur in objectum, ut malum moraliter; sed sic fieri, est formalissimè peccare, & quidem eō peccatō, quod per talem conscientiam proponitur: quia obligatio non agendi contra conscientiam erroneam, non oritur ex ipsa conscientia errante, sed ex principio naturali dictante vitandum esse malum, & ex præcepto illius virtutis, contra quam conscientia dictat esse illud opus: nam virtutum præcepta obligant ad vitanda non solum illis adversa, sed etiam quæ adversa putantur illis.

15 Dico 2. Si conscientia culpabiliter erronea dicit aliquid hic, & nunc illicitum, seu juxta, seu contra illam agatur, semper est peccatum. Est D. subtilis cit.

Prob. quia si contra illam agis, agis contra conscientiam, & liberè amplecteris malitiam ab intellectu culpabiliter errante propositam, ac consequenter incurris illam malitiam, quam liberè amplecteris. Si v. g. juxta illam agas, contrahis malitiam culpæ admisæ in errore voluntariè admisso; cùm omnis error vincibilis sit prævisus aliquomodo, & volitus saltem in causa, id est in negligentia, quæ illum causabit; neque in hoc casu ulla est perplexitas: quia sic errans potest, & debet deponere errorem. Ex his.

16 Colliges 1. Conscientiam inculpabiliter errantem, esse proximam regulam positivè obligantem, id est tenemur non tantum illi non adversari; sed tenemur etiam operari juxta illius dictamen. Ratio est, quia quoties aliquis sufficientem diligentiam adhibuit ad cognoscendum, utrum aliquod bonū sit, non tantum tenetur non adversari conscientiæ, sed etiam tenetur illam sequi, cùm eam deponere non possit, nec debeat, ac consequenter antecedentem necessitatem habeat, tum non agendi contra illam, tum agendi juxta illam.

Colliges 2. Conscientiam vincibiliter, seu culpabiliter erroneam

neam non obligare positivè, seu ut nos ei conformemus, sed solum negative, id est ut illa durante, ei non contraveniamus. sic v. g. judicat aliquis culpabiliter licitum esse mentiri ut vitam tueatur; hoc judicium obligat, ne dum durat, aliquid contra se fiat. Unde nolens mentiri ad tuendam vitam, peccaret, quia sic dictat conscientia. Ita omnes teste Vasq. non tamen obligat ut mentiamur, sed potius ut deponamus hoc erroneum judicium; cum nemo possit obligari ad peccatum. Hinc duo sunt judicia in mente vincibiliter errant, unum scilicet affirmans necessarium esse mendacium, & hoc non obligat: quia potest, & debet deponi: alterum affirmans esse peccatum non mentiri, & hoc obligat ne contra illud faciamus.

Dices r. Si peccatum sit non obedire errori invincibili, sequitur, quod invincibiliter credens amorem DEI super omnia, esse peccatum, sic amando peccaret, sed hoc implicat: quia amor DEI super omnia, expellit omne peccatum, 2dō. Sequeretur, quod odium, & mendacium essent meritoria: possent enim invincibiliter existimari ut bona; sed hoc est falsum: quia semper disconveniunt naturæ rationali; ad meritum autem requiritur convenientia cum natura rationali. Deinde meritum utpote bonum est ex integra causa, mendacio autem invincibiliter credito ut honesto, decesset aliquid requisitum ad honestatem, nempe honestas ex parte objecti. ergo.

Ad i^{mum}. R. Si in hoc casu possibilis esset amor DEI super omnia, omnino hoc sequeretur, sed nego possibilem in hoc casu amorem talem: nam velle peccare, est velle id, quod putatur esse contra voluntatem DEI; & amare DEUM super omnia, est nihil velle contra voluntatem DEI: nam talis amor est essentia-liter juxta DEUM, & necessario consequenter exclusivus omnis peccati mortalis actualis. Potest igitur aliquis agere in materia aliarum virtutum contra conscientiam erroneam, non autem in

materia charitatis; quia hæc in eo consistit, ut nolit quis peccare, ut rectè advertit noster Reverendissimus Pater Crescentius Krisper. tract. VI. de actibus humanis. dist. 8. n. 28.

Ad 2dum. q. c. seq. n. min. ad prob. dist. hæc disconveniunt semper cum natura rationali, si cognoscantur ut talia sine judicio erroneo, concedo, si cum judicio erroneo, nego assumptum: nam tunc conveniunt cum natura rationali, convenientiam moralis, licet non physicā. Deinde bonum est ex integra causa vel vera, vel existimata invincibiliter; non autem semper vera. Ita immediatè citatus Reverendissimus. Pro reliquis.

18 Nota 1. Legem æternam naturalem, & Divinam, non vetare mendacium v. g. absolutè pro omni casu, sed tantum quando conscientia vera, & certa judicat non esse mentiendum: nam lex æterna semper præcipit obediendum esse judicio conscientiæ; Unde quando dicitur: in tantum obligat conscientia, in quantum derivatur à Lege æterna; sed conscientia dictans bonum esse mentiri, non potest derivari à Lege æterna, alias hæc vetaret, & præciperet mendacium, ergo non est obediendum conscientiæ hoc invincibiliter dictanti. q. majorem duplicem sensum habere posse: 1mō. quod conscientia non adferat novam obligationem, sed intimet legem æternam, & hic verus est juxta numerum 14. 2dō. quod debeat esse conformis legi æternæ, & hic verus est de conformitate moralis, non autem de speculativa, ut patet ex numero 8. Lex ergo æterna præcipit mendacium sub conditione nimis, quando sic dictat conscientia invincibiliter erronea, & absolutè illud vetat, ac prohibet prohibitione tamen hic, & nunc ignorata, quod nullam dicit repugnantiam.

Nota 2. Perplexitatem conscientiæ oriundam ex conscientia invincibiliter erronea (seu cum utraque pars contradictionis per conscientiam errantem proponitur ut mala moraliter) nullum inducere peccatum, tunc, quando utraque proponitur ut mala

æqualiter: nam cùm hic nulla adsit libertas, nullum etiam erit peccatum; quòd si tamen proponeretur ut mala inæqualiter, tunc diligens id, quod contrarium appetet, peccaret secundùm illum excessum, quòd nempe excedere appetet alteram partem: quia quoad hunc excessum est liber libertate morali.

Nota 3. Esse quidem potius obediendum legi naturali, & Dño, quām conscientiæ erranti oppositum præcipienti, sed in casu conscientiæ invincibiliter erroneæ non præciperentur opposita à DEO, & à conscientia: quia DEUS non prohibet mendacium, v. g. immediatè per se, sine media conscientia dictante illud prohiberi, nam sinè hoc dictamine Lex naturalis non censetur promulgata.

Quæres 1^{mo}, Cui potius parendum, an præcepto superioris, 19 an conscientiæ erranti, quando dictant opposita? R. Si error sit invincibilis, potius parendum conscientiæ sic erranti: nam hæc est proxima regula actuum humanorum, & est obligationis naturalis; altera verò est solùm mediata, & remota. Si verò sit vincibilis, præceptum superioris exigit, ut deponatur, quod præscrupulosis maximè conductit. Nota autem, ut error vincibilis prudenter deponatur, si conceptus est ex ratione probabili, debet adesse motivum probabile oppositum; non tamen requiritur probabilius. Ita communior. Ratio 1^{mi} est, quia sicut arbitrium nostrum non est regula agendorum, sed dictamen conscientiæ, ita nec est regula deponendi conscientiam, sed adesse debet aut ratio, aut authoritas, qualis in priori casu est authoritas superioris. Ratio 2^{di} est, quia ad honestè operandum sufficit conscientia probabilis, per dicenda.

Quæres 2. An, & quando monendus sit à Confessario pœnitens, conscientia errante laborans? R. Error vel est vincibilis, vel invincibilis; si vincibilis sit, debet Confessarius monere pœnitentem: quia cùm hic error sit culpabilis, pœnitens est in ma-

lo statu, adeoque incapax absolutionis. Quod si vero error sit inculpabilis, tunc distingendum est; nam vel errat sic, ut datus hoc errore, omittat aliquid necessarium ad valorem Sacramenti, ut v. g. si putaret sufficere propositum de futuris peccatis, sine dolore de præteritis; tunc clarum est monendum esse à Confessario: quia cum hoc errore est incapax absolutionis. Quod si vero error versetur circa tales res, quarum ignorantia non facit pœnitentem incapacem absolutionis; tunc si manifestatio veritatis prudenter judicetur profutura, monendus est pœnitens sub mortali, ut cum communi docet Sanch. de Matrim. *disp. 38.*
n. 7. 9. & 10.

Econtrà si prudenter timeatur spirituale damnum pœnitentis, vel gravia scandala, tunc monendus non est de errore, seu sit facti, seu juris Divini etiam, & naturalis conjuncti, licet cum damno tertii, ut habet Sanch. loc. cit. nam nulla lex obligat ad actus inutiles, obligat vero ad non ponendos noxios; sed in praesenti casu monitio supponitur inutilis, & noxia; quia pœnitens ex peccante materialiter, & non imputabiliter, fit peccans formaliter, & imputabiliter. Hinc Arriaga *disp. 43. Sect. 4. n. 24.* docet contra Sanch. & Lug. non monendum pœnitentem, si non statim se emendatus sit, licet speretur se paulò post emendatus: nam semel peccasse formaliter, est malum incomparabili ter majus, quam nullies peccare materialiter: quia illud, non hoc privat gratiam. Illud nota cum Arriaga loco cit. *n. 106.* monitionem si faciendam judicas, non ante, sed post absolutionem fieri debere, ne fructus Sacramenti, & remissio peccatorum impediatur, si forte monitus propter spem nolit desistere ab ea actione.

21 Quæres 3: An sit licita complacentia de actu malo posito ex conscientia invincibiliter dictante esse bonum, aut indifferentem? R. Imo. Licitam esse, si in hoc præcisè consistat, quodactus positus

situs fuerit sine ulla prorsus cognitione malitiæ, adeoque sine peccato: quia licitum est, imò honestum gaudere de non commisso peccato.

R. 2dō. Si actus sit intrinsecè malus, complacentia etiam de illo erit mala, vel graviter, vel leviter, juxta malitiam actus. Ratio est, quia objectum in quod fertur, est de se malum.

R. 3tō. Si actus de se sit indifferens, & tantùm malus: quia prohibitus per legem positivam, ut commestio carnis in Vigilia SS. Simonis & Judæ Apost. complacentia de illo non erit mala, quia objectum non est malum, sed indifferens: esset tamen peccaminosa, si tenderet in illam commestionem ut factam die prohibita: quia delectatio haberet pro objecto transgressionem præcepti, quod est inordinatum.

Quætes 4. Quomodo se debeat gerere credens se peccaturum, 22 quidquid agat in certis circumstantiis, v. g. putet infirmus se teneri comedere carnes in quadragesima, ut conservet vitam, & aliunde putat se violare per commestionem præceptum Ecclesie? R. Si conscientiam errantem non possit corriger, vel Doctores consulendo, vel rem accuratiū perpendendo, ipsi eligendum esse id, quod credit minus peccaminosum, quod est commestio carnium, in proposito, eò quòd in tali circumstantia non censatur Ecclesia graviter obligare, imò nos obligat, & ideo commestio tunc non est in se peccaminosa. Ratio est, quia ut habet axioma commune: Ex duobus malis minus eligendum, & ideo illud eligendo non peccat defectu libertatis, non quidem respectu commestionis, cùm possit physicè loquendo non comedere, sed respectu peccati vitandi, eò quòd sive comedat, sive non comedat, sit peccaturus; si autem id, quod credit majus malum, amplectatur, peccabit, non quidem totâ malitiâ, quæ appareret in actione, sed juxta excessum malitiæ supra malitiam minoris maliz;

mali; adeoque mortaliter, aut venialiter, prout excessum cre-
diderit gravem aut levem.

Nec dicas: Talis eligendo minus malum, agit contra consci-
entiam dictantem esse peccatum quod facit, ergo peccat. R. e-
nī negando Antec. quia conscientia tunc non est judicium, quo
actionem suam putat esse malam, cūm judicium illud sit specu-
lativum, & incapax dirigendi voluntatem, ut possit hīc, & nunc
vitare peccatum, sed est judicium practicum, quō dicit in actu
exercito, cūm ex his duobus malis sit unum necessariō eligen-
dum, p̄̄stat eligere minus, vel (quando mala sunt æqualia) pa-
rum refert quodnam eligam: hoc autem judicium est verum, &
conforme rationi ex supposito dictæ perplexitatis.

23 Quæres 5. Unde quis colligere possit inesse sibi conscientiam
erroneam? R. Si dubitet, aut suspicetur de malitia suæ actionis,
aut omissionis, & tamen sine sufficienti fundamento resolvat esse
licitam; aut etiam si interius moneatur de rei veritate accurati-
us examinanda: tunc enim timere debet, ne conscientia sit vin-
cibiliter erronea, & ideo nec statim debet ponere actum, quem
ipsa p̄cipit, nec statim omittere, quem prohibet; sed sit suffi-
cens, debet rem diligenterius discutere; si insufficiens, Doctores
interrogare.

24 Quæres ultimò: Quomodo sit deponenda Conscientia erro-
nea? R. Ad eam deponendam sufficere voluntatem, ubi sola vo-
luntate sine ullo fundamento concepta est, si autem in aliquo
fundetur; etiam sine ullo fundamento deponi posse affirmant Ca-
jetanus, & quidam alii, quibus non adhærendum: cūm enim illa
conscientia non ceperit obligare pro arbitrio voluntatis, sed ex
aliquo fundamento apparenter vero, ut desinat obligatio illa, de-
bet etiam rationis, vel authoritatis fundamentum intervenire,
quo prudenter contrarium judicetur: rationis quidem, ubi po-
test quis studendo, examinando, orando &c. veritatem obtinere;

autho-

authoritatis verò, doctiores, ac partim Parochum, aut Directorem, virum probum, prudentem, & doctum consulendo, quod facere debent illiterati, & scrupulosi.

SECTIO QUARTA.

Quid, & quotuplex sit Conscientia dubia, & an ea stante honestè operemur?

Nota 1. Conscientiam dubiam dici, quando intellectus neutri parti præbet assensum, sed eum suspendit, eò, quòd maiorem non videat convenientiam unius partis, quam alterius; unde vides dubium sumptum pro assensu incerto, seu probabili, prout in utróque Jure sèpius usurpatur, accipi in sensu latiori, nam in strictiori sumitur, quando intellectus sic in utrámq; partem contradictionis pendet, ut neutram in partem determinatò judiciò inclinet: & quidem si id fiat defectu motivorum: quia scilicet nullum pro ulla parte contradictionis occurrit, dicitur dubium negativum; quando verò occurrunt rationes pro utráque parte, vel alterutra contradictionis, sed insufficientes de se propter àqualem vim inclinandi, ut pro determinata parte formetur judicium, tunc dicitur dubium motivum, seu positivum, & quidem prudens, ac rationabile; si rationes sint firmæ, ac magni momenti; imprudens verò si sint leves, & futilles.

P. Henno autem *diss. 1. b. c. q. 1. concl. 2.* breviùs, & clariùs definit conscientiam dubiam, quòd sit hæsitatio, seu suspensio intellectus inter utrámque contradictionis partem, ita, ut neutri parti detur assensus, vel dissensus, sìcque patet non esse propriè conscientiam; cùm hæc essentialiter importet actum. Hoc autem accidere potest ex dupli capite; vel quia ex neutra parte apparent rationes, & tunc dicitur dubia negativè; vel quia ex utráque parte apparent rationes àquales, & tunc dicitur dubia positivè.

- 26 Nota 2. Conscientiam dubiam dividi ulterius in dubium speculativum, & practicum: Illud est, quando in communi, & præscindendo à circumstantiis dubitatur an sit licitum, vel illicitum v. g. an hoc matrimonium sit validum. Practicum est, quando intellectus manet suspensus circa aliquod hinc & nunc agendum, v. g. utrum matrimonium, de cuius valore dubium est, possit hic, & nunc contrahi? Præterea si dubitetur de legis existentia, de illius sensu, usu, vel an hunc, vel illum casum comprehendat, dicitur dubium Juris: si verò dubitetur, an hoc v. g. homicidium sit, vel non sit commissum, est dubium facti. Illud autem notandum est ex Sanchez *Liber. I. moral. cap. 10. n. 7.* omne dubium speculativum necessariò secum trahere dubium practicum de eodem objecto, nisi novum aliquod motivum occurrat intellectui, quod impedit dubium practicum. His positis.
- 27 Dico 1^{mo}. Stante dubio speculativo, potest quilibet licite operari, quoties judicium practicum oppositum, seu favens libertati contra Legem formari potest: quoties autem tale judicium formari nequit, tutior pars est eligenda. Ratio 1. p. est certa apud omnes, & deduci potest ex Scoto 4. *dist. 5. q. 3.* quia conscientia speculativa non regulat actiones humanas, ergo si possum facere judicium practicum, oppositum etiam stante dubbio speculativo tali, licite operabor, sic possum speculativè dubitare, an sit hodie festum, & tamen practicè certus esse non teneri ad audiendum Sacrum, eò quòd sim infirmus, ubi vides, quòd ratio ex qua formo judicium practicum, impedit ne judicium practicum secum trahatur à dubbio speculativo. Ratio 2. partis est, quia ubi non potest formari judicium practicum oppositum dubbio speculativo, nulla adest regula honestans operationem minus tutam, ergo necessariò pars tutior est eligenda: Contingit id etiam 1^{mo} in casibus à Jure positivo sic constitutis: sic dubitans etiam invincibiliter de commisso à se homicidio, debet se

bet se gerere pro irregulari, *Capit. ad audientiam De homicidio*: quia inquit Pontifex: *In dubiis tutior pars est eligenda*; hæc tamen causalis *quia*, non est ex natura rei, nec est præceptum naturale, sed consilium, uti notant plures cum Svarecz. Unde hic casus particularis non potest extendi ad irregularitatem ex aliis causis, minùs ad alias materias.

Secundò contingit quando ex parte minùs tuta sequitur dñm̄ tertii, aut dñm̄ salutis proprium, hinc Ministri Sacramenti, Medicus, & similes tenentur sequi tutiora circa valorem Sacramenti, & Medicinas. Item fidelis in mysteriis controversisticis, an sint necessaria ad salutem necessitate medii, tenetur securiora amplecti. *Tertij*. quando possessio stat contra dubitantem, de quo infrà plura.

Dico 2. Stante dubio práctico, & non deposito, non est licitum operari; sed tenetur quisque tutiorem partem eligere. Ad deponendum autem dubium prácticum sufficiens causa esse potest possessio, quæ si alteri parti faveat, potest eligere partem minùs tutam, non solùm in materia justitiæ, sed etiam in omni alia materia. Est communis quoad imam, & 2dam partem, tercia a utem est contra Azorium Vasq. Turrianum, & nonnullos alios DD. Et tenet illam Syarez, C. de Lugo, Terillus, novissimè noster Felix Panormitanus S. Officii consultor *in suo Examine Eccles. parte 1. cap. 1.* & Reverendissimus Crescentius Krisper Scriptor Totius Ordinis *tract. VI. de Act. hum. n. 6.*

Ratio 1. partis est, quia stante dubio práctico circa actionem, quam quis exercere vult, inducit periculum peccandi respectu dubitantis; quia proponitur ei malitia, ut annexa operatiō ab ipso exercendæ, ergo stante tali dubio non licet exercere minùs tutam, sed tenetur tutiorem partem eligere. Sic v. g. dubitas: an tenearis hodie jejunare; si hoc dubium ex prudenti motivo non deponas, teneris jejunare, & in hoc sensu natura-

liter procedit illa regula Juris: In dubijs tutior pars est eligenda: sicut & in altero, dum nempe utrāque pars contradictionis proponitur ut mala, tunc enim minūs mala est eligenda, secūs si æqualiter, ut diximus in not. 2dō.

Ratio 2. partis est, ex communi sensu DD. quòd in materia justitiæ, cæteris paribus melior sit conditio possidentis, ex Reg. Jur. in 6. 65. & 120. sic dubitas de re, quam bona fide possides, an tua sit, an aliena, cùm ex hoc dubio resultet quædam æquilitas inter obligationem restituendi, & potestatem retinendi, accessione tamen possessionis bona fidei, quam tu habes, præponderat, & inclinat in possidentem; & hoc ipso facis conditionem tuam potiorem; potes igitur rem illam ut tuam retinere, vel alienare.

Neque dicas: qui dubitare incipit, mala fide incipit possiderē: mala fides enim in eo consistit, quòd dubites an res tua sit, vel alterius. R. enim quòd in principio possessionis possit dubium efficere malam fidem, non autem post inchoatam possessionem: quia si bona fide cepit possidere, deinceps de possessione dubium non est, sed solūm de rei proprietate, & possessio præsumpta ei favet. Unde ortō tali dubiō, tenetur possessor in rei veritatem inquirere, hac enim concepta potest formare judicium practicum de re retinenda, assumenda, alienanda; ita ut etiam conceptō verō Dominō, non teneatur quidquam restituere, nisi quod existit, aut in quantum factus est ditior, ut habet certa sententia apud Sanch. Lib. 2. de Matrim. disp. 41.

Ratio 3. partis est, quia non est major ratio, cur in materia justitiæ sufficiat possessio ad sequendam partem minūs tutam, quam in aliis materiis. Ideo enim in materia justitiæ ille, qui possidet, potest retinere id, de quo dubitat, quia possessio est certa, & jus certum actualis possessionis: quibus propterea separat alterius jus proprietatis dubium, & incertum; sed etiam in a-

in aliis materiis Obedientiæ, Religionis, Temperantia, existentia Legis est dubia, hoc est Legis Jus est æquale ex parte voluntatis, ut non obligetur, & ex parte Legis, ut ei obediatur, voluntas autem habet certam possessionem suæ libertatis, quamdiu non probatur ejus privatio per certam existentiam Legis, quæ tollit moralem libertatem, ergo etiam tunc poterit eligi pars minoris tutæ, cui favet possessio, sic v. g. dubitas an voveris jejuniū, aut Religionem: cùm possessio stet pro libertate, potes non jejunare, non ingredi Religionem: è contrà certus de voto, dubitas an impleveris, teneris implere; quia votum possidet.

Unde Notandum, quòd possessio libertatis, quæ oritur ex naturali dispositione, dum dubium est invincibile, non sit quidem fundamentum asserendi legem non existere (nam aliàs non esset dubia legis existentia contra suppositum) est tamen fundamentum sufficiens judicandi legem pro eo casu non obligare, sed dare jus quasi reflexum saltem permissivum deponendi dubium practicum, & exercendi actum oppositum legi, de qua dubitatur. Instantia est in materia justitiæ: nam sicut hic etiam juxta adversarios possessio est titulus universalis, vi cuius cæteris paribus potest possidens dubium practicum deponere, & formare judicium practicum contrarium, de re possessa retinenda: ita libertas est titulus universalis circa omnes alias materias deponendi dubium, formandi conscientiam practicam, quòd sit licita operatio. Unde libertas physica faciendi aliquam actionem, est etiam libertas moralis, seu potestas faciendi illam impunè, & sine peccato tamdiu, quamdiu non probatur oppositum, seu quamdiu non constat hanc libertatem esse ligatam impedimentoo legitimæ prohibitionis: hæc enim cùm odiosa sit, præsumi non potest in dubio, sed probari debet; si ergo dubium vinci nequeat, & certa sit possessio libertatis, potest formari judicium practicum favens libertati contra legem. Hinc

30 Colliges: Falsum esse primo illam regulam Juris (in dubiis tuior pars est eligenda) esse semper præceptum, & nunquam consilium: nam id fallit etiam per adversarios in materia Justitiae. Secundo, Non esse contra legem amicitiae operari cum dubio speculativo, sed tantum cum practico: nam tunc non censetur amicus, utpote exponens se periculo offendendi amicum. Tertio. Synderesim quidem dictare nullum debere se exponere periculo peccandi, sed hoc principium solum urget, ubi dubium est practicum, non autem ubi speculativum. Quartò. Constitutionem Papæ in casu particulari, de quo numero 27. esse factam non ex natura rei, sed ex consilio ob reverentiam ministerii Altaris: Unde etiam extendi non debet ad casum mutilationis dubiae, aut homicidii justi, v. g. in bello commissi.

31 Quæres autem, unde dignosci possit, pro quo stet in dubiis possessio? Sanchez Lib. 1. cap. 10. judicat pro eo stare possessionem, pro quo stat juris præsumptio; hæc autem stat pro illo, qui onus probandi transfert in alterum: nam cum jus nihil temere præsumat; juris præsumptio habetur tamdiu pro veritate, donec veritas aliis probationibus inveniatur. Hæc regula etsi bona, multis tamen limitationibus, & exceptionibus obnoxia est: Unde judico cum Honorato Fabri in *Apologeticō* pag. 44. §. minor. omnia dubia tum Juris, tum facti debere reduci ad hæc duo principia; *imum*: Nemo obligatur ad certam solutionem, nisi constet de certa obligatione, de hac autem certò nihil constat, nisi constet de certo Jure. *Alterum*: Incerta solutio non extinguit debitum certum.

32 Ex his deducitur *1mo*, quamdiu non constat de certitudine præcepti, vel legis, juris, aut debiti, & dubitetur de obligatione, stare possessionem pro libertate. *2dō* cum certa lex, & præceptum fundet certam obligationem, si de solutione occurrat dubium, possessio stat pro lege: nam incerta, seu probabilis solutione,

lutio, non extinguit debitum certum, nisi sit ita probabilis, ut nulla occurrat ratio persuadens omissam solutionem; quia tunc est moraliter certa: sic v. g. solitus dicere certo tempore Horas Canonicas, si illo tempore nulla occurrit causa omissionis, & dubitet an dixerit, potest præsumere dixisse: nam si hic non esset certitudo moralis, esset onus intollerabile, cum vix actuum nostrorum etiam internorum jam à multo tempore præteritorum, ob labilem memoriam certitudinem habeamus. Econtrà si cum probabili solutione occurrat argumentum probabile non solutionis; manet certa obligatio solutionis. Hinc si dubius sis an voveris, juraveris, vel alteri nocueris, & post diligens examen veritas non pateat, licet probabilis appareat te vovisse, jurasse &c. quia tamen pro libertate stat possessio, ad nihil obligaris. Econtrà si certus sis te vovisse, dubitas tamen, an impleveris, teneris ad id, quod votô promisisti: quia incerta solutio non extinguit debitum certum.

Objic. I. contra 3. partem 2dæ conclusionis: est lata disparitas inter materiam justitiæ, & inter materiam aliarum virtutum; ergo etsi faveat possessio circa materiam justitiæ in dubio. vel gravi formidine, non tamen id sequitur quoad virtutes alias. Añs prob. quia in materia justitiæ, si dubium intercedat, lis est inter æquales, videlicet inter duos homines: econtrà in materia aliarum virtutum lis est inter DEUM, & hominem: ergo in tali dubio potius favendum est DEO, quam homini possidenti; sicut à pari in dubio favetur causæ favorabili, puta: Ecclesiæ, pupillis, causæ piæ, doti, matrimonio, & libertati contra servitutem. R. nego añs, proba ejus nihil probat contra nos; cum DEUS summè bonus, & misericors in dubio legis non præsumatur obligare, qui hominem constituit in sua libertate, & voluntatem suam, ne quidem probabilius quoad minimum in lege nobis ex ignorantia invincibili ignota velit obligare, manifestavit.

Quoad

Quoad Ecclesiam, causas pias, & alia favorabilia, transeat, quod in dubiis aliquando ipsis favor exhibeat etiam contra ipsum possessorem, quod si contingat, fit ex speciali dispositione legis humanæ. Duxi transeat, nam plures docent contra causas etiam favorabiles, in dubio meliorem esse conditionem possidentis, ex lege non ideo. 5. de liberali causa ibi: *Probationis sane onus, cùm è servitute in libertatem adseritur, ad se recipit, ubi si affirmationem suam non adimpleat, inconcussum jus possessionis manet.*

- 34 Obj. 2. Cum Camargo rigorista in sua *Regula honestatis moralis* dicente: si possessoria regula habet vim in aliis materiis, præsertim in dubio legis, tunc, quando æquè probabile est adesse legem, quam non legem, potius debet decidi in favorem legis divinæ, quam in favorem libertatis humanæ, ergo Ans. prob. quia libertas non est in possessione contra DEUM, sed potius DEUS est in possessione contra libertatem; cùm habeat plenissimum, & inabdicabile dominium in omnes creature, consequenter etiam in ipsam libertatem humanam. R. n. ans, cuius probationis dist. secundum membrum: DEUS est in possessione contra libertatem, id est ipsa libertas DEO, tanquam perfectissimo Domino est subiecta, ut eandem vinculō legis constringere possit, quando vult, conc. DEUS est in possessione contra libertatem, id est voluntas ut legislativa actualis contra libertatem debet supponi, quamvis habeatur par gravis ratio hanc voluntatem non adesse, adeoque habeatur ignorantia invincibilis hujus legis, sic nego. Instantia est: sint v. g. duo, qui bona fide Matrimonium contraxerunt, deinde ex paritate rationum pro, & contra oriatur dubium de valore Matrimonii, & consequenter an oscula, tactus &c. sint actus liciti, vel illiciti? contra legem, vel non? certè in tali casu quoniam de lege prohibente dubitatur, nimurum an hic, & nunc circa oscula, tactus &c. adsit, ob regu-

regulam possessoriam, non obstante supremo Dominio DEI, se resolvere potest conjux eisdem actus hic, & nunc, esse sibi licitos.

Addunt Sotus, Vega, Sporer &c. Conjugem alterum obortu dubio de valore Matrimonii bona fide jam antea, & sine hæsitatione contracti, post adhibitam sufficientem de inquirenda veritate diligentiam, non solum reddere, sed & petere posse debitum; supposito, quod se resolvat proponendo sibi regulam possessoriam, & non maneat practicè dubius.

SECTIO QUINTA. De Conscientia scrupulosa.

Nota: Certum esse scrupulum differre à dubio, & à probabilis, cùm scrupulus sit quidam animi motus, levibus nimis fundamentis, quò vel apprehendimus, vel judicamus nos ex conscientia obligari ad aliquid faciendum, vel omittendum, ubi nulla subsistat obligatio. Dubium verò est suspensio animi ob æquilibrium rationum: opinio autem determinatus assensus ex fundamento non levius. Quæstio hic est, an ad hoc, ut actio honesta sequatur, deponendus sit scrupulus? affirmat Lopez, negant communiter alii. Ante resolutionem.

Nota 2. Illos solos propriè censendos esse scrupulosos, qui contra judicium Doctorum, imò & proprium, dictans actionem, aut omissionem aliquam esse licitam, inquieti sunt, & anxii, ne fortè sit illicita ob rationes leves, & futilles: unde trepidant timore, ubi non est timor. Hinc non reputantur pro scrupulosis, qui ex timore filiali omnia mortalia, & venialia etiam minima: imò & eorum suspicionem student vitare, ne DEI Bonitatem offendant: illi enim non scrupulosi, sed timorati sunt. Similiter nec sunt scrupulosi, qui redeunte mentis serenitate sunt

salutis incurii, in bonis pigri, ad exteriora profusi &c. sicut nec
anxii ob peccata præterita indebet confessa; tales ut peccatores
sunt tractandi, & serio monendi, ut saluti invigilent. H. N.

36 Dico si scrupulus consistat in sola simplici vehementi appre-
hensione, quæ fluctuationem illam animi, & angorem causat,
non esse necessariò deponendum: Ratio est, quia talis vehemens
apprehensio stat cum judicio practico, de honestate operationis.
Econtrà si scrupulus consistat in judicio, hoc necessariò depo-
nendum est; nam judicium etiam ex levibus fundamentis dictans
hanc actionem, vel omissionem esse hic, & nunc illicitam, ex-
cludit judicium practicum, dictans eandem actionem, vel omis-
sionem hic, & nunc esse licitam: adeoque ut sequatur actio ho-
nesta, necessariò deponendum est: imò obligatur scrupulosus sic
deponere, è contrà primi generis scrupulosos positivè agere:
quia aliàs est in manifesto periculo salutis.


37 Scrupuli præcipue circa tria versantur, an non aliquid pec-
catum sit? an non consenserit cogitationi, vel tentationi malæ?
an præterita peccata ritè confessus sit? porrò ut his remedium
efficax ponatur, inducendus est ægrotus, ut credat omnino Con-
fessario prudenti, eique obediatur ad nutum, habens hoc omni-
no certum, & fixum, quod nemo unquam errare possit tale ju-
dicium sequendo, & illi omnino aquiescendum.

Secundo, ut in rebus efficiendis nunquam ab operatione de-
sistat ob scrupulum, neque aliquod mortale peccatum reputare,
nisi jurare possit tale illud esse.

Tertio, Si dubitet utrum cogitationi consenserit, nisi pariter
jurare possit, judicet non consensisse. 4to. Circa confessiones,
nullum etiam mortale peccatum confiteatur, nisi jurare possit
esse tale, neque unquam clavibus subiectum; si dubium sit de
confessionibus, non permittatur eas repetere, nisi de earum in-
validitate jurare possit. Denique Confessarius omnia scrupulosi
dubia

dubia in meliorem partem interpretetur, eaque rariūs admittat,
& subinde molestum interrogatorem repellat, etiam acriūs cor-
ripiat, prout in Domino judicaverit: nam quibusdam savior,
quibusdam acrior agendi modus medicina est.

Tandem advertat Confessarius, quod debeat esse firmus, &
constans in suis resolutionibus, ne vacillando, novos causet scrupulos.
Advertat etiam pœnitenti scrupuloso tales dandas esse
regulas, ut possit ipsem continuo sine recursu ad Directorem,
formare sibi conscientiam, alijs foret minus odiosus.



QUÆSTIO SECUNDA.

De Conscientia probabili, & o- pinionum probabilitate.

PRÆSENS controversia de probabilitate opinionum
est momentosa, & magnis agitata contentionibus; arbitrum poscit non philologum, aut polyhistorem, sed Theologum,
non modò æquum, sed etiam diligentem. Materia hæc est non
obiter tractata à pluribus, & clarissimis Doctoribus, varias in
vias abeuntibus. Nam aliqui eorum volunt in materia honestatis
hominem obligatum esse semper ad opinionem tutiorem, li-
cet contraria libertati favens, sit probabilior; & hi *Tutioristæ*
nuncupantur. Alii admittunt amplecti posse opinionem minus
tutam, & libertati faventem, si illæ intellectui appareat simul
probabilior: negant verò id in concursu tutioris opinionis, &
simul æquè probabilis, vel etiam probabilioris; hi communiter
vocantur *Rigoristæ*, quamvis hæc nomenclatura ipsis non sapiat.

Tandem alii stantes pro libertate contra rigorem, tuentur in materia honestatis licet operari posse, et si opinio illa minus tutam non appareat intellectui simul probabilior, atque isti nominantur *Benigni*; qui iterum duplarem constituunt classem. In prima classe sunt, qui docent in materia honestatis posse licet sequi opinionem minus tutam, sive tutior contraria appareat simul aequaliter probabilis, sive etiam probabilior. Secunda classis mediâ quasi viâ incedit, affirmans quidem id, cum prioribus contra Rigoristas in concursu utriusque opinionis aequaliter probabilis: negans verò saltem regulariter cum Rigoristis contra Benignos in casu, quô opinio tutior simul apparet intellectui probabilior. Ubi curiosè si queras cum Pilato à me, in qua, & de qua classe es tu? & quod nomen tuum? Minimus Discipulus ad instar Magistri Christi Domini. & me tacente, lectio accurata materia ob oculos positæ, Te docebit utrumque. Lecta si desipiunt; abstine: si tamen vis experiri; sustine.

SECTIO PRIMA.

Quid sit, & quid requiratur, ut opinio aliqua dicatur probabilis?

38 **O**pinio ut sic dicitur assensus incertus unius partis contradictionis, ac proinde conjunctus cum formidine partis oppositæ. Quod si motivum hujus assensus sit grave, ac magni momenti, ut quisque Vir prudens possit fidere, & assensum praestare, dicitur opinio probabilis: & quia motivum vel fundatur in ipsis prædicatis intrinsecis, seu materia ipsius rei; vel verò in judicio prudenti, vel in utrōque simul; ideo etiam probabilitas vel erit intrinseca, vel extrinseca; vel ex utrāque mixta: quod si verò opinio destituatur fundamento gravi, dicitur improbabilis negative, seu non probabilis; positivè verò improbabilis erit,
Quando

quando pro opposita parte datur fundamentum certum. Porro ut penitus pateat, quod motivum grave, seu sufficiens ad probabilitatem sit; observandum 1^{mo}. ex Philosopho, illud esse probabile, quod plerumque contingit, seu quod sapientius conjungitur cum vero, quam cum falso. Unde motivum grave, seu magni momenti quidam illud dicunt, quod de se sapientius conjungitur cum vero, quam cum falso. Verum haec explicatio, ut advertit Terillus, universalis non est. Nam multa sunt probabilia, quae sub experientiam frequentis contingentiae non cadunt, ut v. g. quod Cœli sint liquidi &c. Unde melius dices cum eodem Terillo *L. fundamenti Theologie moralis.* q. 2. motivum probabile esse, quod habet tantam apparentiam veritatis, licet fallibilem, ut sufficiat inducere virum prudentem ad assensum determinatæ partis contradictionis.

Observa 2. Sapientius motivum aliquod si secundum se præcisè consideretur videri magni ponderis, & momenti, non autem si ponderetur cum motivis contrariis. Sic haeretici habent sapientem motivum sui erroris, quod secundum se spectatum esset magni momenti, nisi à fundamentis contrariis altiori principio D. scilicet revelationi nixis sic enervarentur, ut nullius ponderis assensum mereantur, ac proinde ut motivum aliquod fundet probabilitatem, non sufficit, ut de se magnum appareat, sed insuper tale esse debet comparativè ad argumenta partis oppositæ: ita, ut libratis hinc inde rationibus invicem pugnantibus, non amittat vim inclinandi intellectum ad rationabilem assensum. Ex quibus.

Colliges 1^{mo}. Duo requiri præcipue ad probabilitatem: 1^{mo}. 39 ut nitatur fundamento gravi, seu tanti ponderis, ut quisque etiam peritus rei moralis possit per illud prudenter assentiri determinatae parti contradictionis. 2^{do} ut non enervetur à fundamentis contrariis, seu ut etiam in comparatione motivorum contra-

riorum habeat sufficientem vim inclinandi ad prudentem assensum. Porrò motivum de se grave non potest per aliud gravius enervari: quia probabilitas unius partis non evertitur per probabilitatem etiam majoris alterius, ut dicetur infra. Debet ergo pars adversa niti vel auctoritate certa Divina, vel Pontificia, vel SS. Patrum, vel communi sensu Theologicorum principiorum, vel ratione certa saltem moraliter: nam sicut certitudo ritè impugnatur motivis probabilibus (certum enim esse non potest, quod habeat contra se fundamentum probabile) ita probabilitas non expugnatur, nisi fundamento certo, quo ostendatur vel certò falsa, vel carere fundamento gravi.

40 Omnis proinde opinio nitens fundamento comparativè gravi, erit verè probabilis. Unde opinio probabilis definiri potest: quod sit assensus incertus, nitens motivo comparativè gravi. Nam hæc definitio convenit omni, & soli opinioni probabili: quia per ly *incertus* differt à scientia, Fide Divina, & actibus certis; unde excludit omnem certitudinem etiam moralem, per ly *gravi* differt ab opinione improbabili, per ly *comparativè tali* indicatur, quod possit stare simultas probabilitatis partium oppositorum, cùm unum motivum etiam probabilius, non enervet probabilitatem alterius. hinc.

Colliges 2. Non subsistere definitionem, quam quidam R.R. tradunt dicendo: quod opinio probabilis, sit judicium prudens, quod maturè hinc, & hinc libratis momentis veri, procedit ex motivis probabiliter præponderantibus apud intellectum judicantis: Nam 1^o, hæc definitio supponit motiva minus probabilia non posse fundare prudentem assensum in consortio motivi probabilius pro parte opposita, cuius contrarium ostendemus inferius. 2^o tollit quæstionis statum inter D.D. usitatissimum, quo quæritur utrum liceat sequi opinionem minus tutam, vel probabilem, in consortio tūtioris, vel probabilius; nam ne-

gat dari judicium minus probabile; cùm patet judicium probabile præponderantium rationum apud intellectum judicantis.

Diximus Num. 39. rationem cui repugnat communis sensus 41 gravium Theologorum, non posse dici magni momenti; intellige, si ijdem rationem talem accurate discusserint: nam ut bene inquit Rhodes tot Theologos damnare cætitatis, est imprudentissimum. Porrò communior sententia non illa dicitur, quam Turba AA. firmat; sed quam magis probati post diligens rationum examen tuentur. Unde rectè Cardenas in crisi Thel. disp. II. num. 46. communior inquit reputanda est opinio, quam tradunt 6. AA. cum discussione rationum, esto oppositum tueantur 50. sine discussione rationum. Quod hæc authoritas D. D. communiter sic sentientium, magnum pondus addat in sententiæ probabilitatem, extra controversiam est; illud difficultatem patitur, an unius viri authoritas faciat opinionem probabilem, præsertim si contra communem sentiat; cùm inter Alexandri 7. damnatas propositiones hæc num. 27. habeatur. *Si liber sit aliquis Junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem.* Unde patet non quamlibet quæst. ad opinionis probabilitatem sufficere, Ita noster Reverendissimus P. Krisper tract. VI. de A-
gib. hum. q. 3. n. 5. His non obstantibus.

Dico cum Sanch. in summa lib. I. c. 7. n. 7. Sylvest. Navar. & 42 aliis Authoritatem unius viri probi, & docti, vel ut Cardenas loc. cit. loquitur, viri omni exceptione majoris reddere opinionem probabilem; ita ut cuivis prudenti bona sit hæc consequentia: Hic Doctor omnij exceptione major propugnat hanc sententiam, ergo est probabilis. Dicitur autem *omni exceptione major* ad proportionem testis, cuius authoritas in dicendo nulla exceptione infirmari potest. Talis proinde erit, cuius sententia opponi non possit certitudo partis oppositæ, nec levitas, seu nullitas

nullitas fundamenti, quô firmat opinionem propriam, nec quòd tradiderit, aliàs certò improbabilia varia (nam unum vel alterum tradidisse non officit, modò in cæteris sanè senserit) aut aliquod principium generale improbabile, ex quo in pluribus materiais dedicuntur conclusiones improbabiles, nec quòd merus sit summista, vel Compilator, sed quòd maturè discussis utrinque rationibus conclusiones suas resolvat: quos solos pro classicis agnoscit Bonacina *part. 1. disp. 2. de peccatis. q. 4.* Cardenas verò omni exceptione majores, contra quos nihil ex prædictis excipi possit. Ratio verò est, quia sequens Authorem his qualitatibus instructum non agit temerè; seu ex animi levitate, ergo sententia talis Authoris non est improbabilis, sed probabilis ut pote nixa gravi fundamento. Ex his

43 Colliges 1^{mo}. Quoties opinio unius Authoris gravi nititur fundamento, tunc illa probabilis erit non propter Authoritatem docentis, sed etiam propter rationem, cui innititur: & in hoc sensu verum est etiam unius Authoris opinionem probabilem, licet sit contra communem: quia scilicet nititur gravi comparativè fundamento, seu non enervato per rationes contrarias.

Colliges 2^{do}. Authoritate unius etiam ut præcisa ab aliis fundamentis reddi opinionem extrinsecè probabilem, licet sit contra communem; modò rem maturè, & ex professo examinaverit, sítque vir probus, & doctus: nam sic illius judicium multum antecellit cumulum aliorum. Ubi tamen adverte, cùm dicimus; per authoritatem etiam ut præcisam ab aliis fundamentis, non intelligi authoritatem re ipsa suis fundamentis destitutam (nam si hoc verum, comprobatumque esset, nullam faceret authoritas illius probabilitatem, ut habet Moya *in select. tract. 1. q. 3.*) sed sensus est, quòd nobis ad prudentem assensum sufficiat authoritas talis virti, licet nos fundamenta illius, ex quibus procedit, vel ignoremus, vel non penetremus, præsumendum e-

dum enim non est, quod vir insignis probitatis, & literaturæ, contra communem sententiam processurus sit sine gravi fundamento.

Colliges 3tið. Hoc amplius locum habere in materiis, quæ ab aliis, aut leviter, aut prorsus agitatæ non fuerunt; nam sic illius authoritas non leve fundamentum erit. Hæc autem probabilitas eousque solum durabit, donec ab aliis multis æqualis doctrinæ unanimi consensu contradicatur, & fundamentum aut leve, aut nullum ostendatur; nam si contrariis rationibus non enervetur, stabit suo loco probabilitatis.

SECTIO SECUNDA.

Utrum possit simul eidem intellectui apparet probabilis utraque pars contradictionis, & movere ad prudentem alterutrius assensum

A Nte decisionem quæstionis Nota 1. Intellectum utpote posse voluntatis, præsertim in opinabilibus; ubi clara veritas non cogit ad assensum, sed suspensum relinquit intellectum, donec imperio voluntatis in alterutram partem contradictionis inclinetur; Unde patet, quod assensus denominationem prudentis, aut imprudentis, aliunde non desumat, quam ab electione, & imperio voluntatis: si enim hæc levibus ducta fundamentis eligat, imperetque assensum, levis erit, & imprudens; prudens vero si gravibus nitatur, & proportionatis rationibus ad finem intentum. Finis vero intellectus est verum, sicut voluntatis bonum.

Nota 2. Veritatem duplē esse, formalem scilicet, quæ partim actui, partim objecto est intrinseca. Alteram objectivam subdivisam iterum in realem, & apparentem. Realis est sic se habentia objecti, prout actus enunciat, unde est objecto adæquata in-

tè intrinseca; & consistit in indivisibili, estque objectum actuum intuitivorum. Apparens est, quæ intellectui objicitur non in se, sed in alio, nempe in motivis ab objecto materiali distinctis: hæc consistere non potest in indivisibili, sed suscipit magis, & minus, prout nimis motiva sunt magis, vel minus probabilia; Unde hæc apparens veritas est objectum actuum abstractorum, seu cognoscentium rem per species alienas.

46 Nota 3. Objectum formale intellectus non esse solam veritatem realem, ac evidenter in se cognitam, sed etiam veritatem apparentem, seu ut probabiliter apprehensam. Ratio est: quia cum finis intellectus sit verum, omne id est objectum formale illius, quod est aptum movere intellectum ad consequendum hunc finem, sed veritas apparens, seu verisimilitudo est apta movere ad hunc finem, cum re ipsa sè conjugatur cum vero reali, ergo est objectum illius formale. Deinde etiam per AA. bonitas non sola realis, sed etiam apparens bonitas, est bonum voluntatis, & ab ea prudenter appetibile, non obstante quod possit subesse malum reale, ergo etiam non sola veritas realis, sed etiam apparens est bonum intellectus, & ab eo prudenter appetibile, licet possit subesse falsum: quia alias male illi provisum esset; cum circa pauca planè habeamus certitudinem: ergo sicut bonum tam reale, quam apparens est finis voluntatis; ita verum tam reale, quam apparens erit finis respectu intellectus. Hinc.

47 Colliges 1. Licet veritas realis sit incompossibilis cum falsitate reali; cum ea tamen compossibilem esse veritatem apparentem: nam objectum re ipsa falsum, potest proponi per motivis verisimilia, ut prudentem assensum obtinere possit ab intellectu: nec in hoc assensu ullus error, aut ignorantia intervenit circa apparentiam veri: cum verissimum sit, quod objectum materiale appareat verum in motivis probabilibus; sed solum circa objectum re-

etum reale. Quòd si constaret, cessaret apparentia veri, seu verisimilitudo hic & nunc movens intellectum.

Colliges 2. Ex eo, quòd intellectus affirmet aliquid esse verius, seu probabilius, non affirmat illud magis accedere ad veritatem, seu esse propinquius vero, sed solum esse majorem apparentiam accessus ad veritatem, adeoque respectu nostri minus errandi periculum.

Colliges 3. Ambo extrema contradictionis non posse quidem simul esse vera veritate reali, bene tamen veritate apparente: hoc enim aliud non est, quam quòd pro utraque parte dentur rationes, in quibus species veri relucet; simul enim per Adversarios potest utraque pars contradictionis apparere bona, seu esse bona bonitate apparenti. His præmissis.

Dico 1. Posse utramque contradictionis partem respectu ejusdem intellectus esse simul probabilem, seu apparere veram. Ita communis cum Terillo, Haun. contra Pallav. hic *diss. 8. &c.*

Probatur: Tunc utraque pars contradictionis potest esse simul probabilis, quando utraque in concursu alterius potest niti gravi fundamento, ut dictum est n. 44. sed utraque pars contradictionis in concursu alterius potest niti gravi fundamento, cùm unum motivum probabile non elidat vim alterius probabilis, ut notavimus n. 39. nam motivum probabile etiam in concursu probabilioris adhuc servat gravitatem, & dignitatem ad movendum. Quod patet à posteriori: quotidie enim experiuntur DD. in quæstionibus tam speculativis, quam practicis se vehementer impelli in alterutram partem, unde sàpè deliberant, quam amplectantur; quod salvari non potest, nisi dicatur quòd motiva contraria etiam in concursu conflictivo retineant vim movendi seu probabilitatem: quomodo enim alijas traherent in partes oppositas. Et hinc sit, quòd sàpè Authores pro una parte tanquam

probabili ferant sententiam, alteram tamen hoc non obstante dicant manere probabilem.

49 Dico 2. Potest idem intellectus praestare prudentem assensum cuilibet parti contradictionis, seu æquè, seu etiam minus probabili. Ita communis cum D. Thoma, I. 2. q. 17. art. 6. P. Anacleto, Sporer, Azorio &c.

Probatur 1. Quamdiu utraque pars contradictionis manet incerta, & pro neutra parte adest fundamentum cogens intellectum ad assensum, tunc voluntas ultralibet earum prudenter imperat, si pro utralibet adest fundamentum monstrans illam prudenter imperari, sed quando utraque pars contradictionis est verè, & practicè probabilis, licet una sit probabilius, utraque manet adhuc incerta, & pro neutra adest fundamentum cogens intellectum ad assensum, ergo tunc voluntas ultralibet partem prudenter imperat, si pro utralibet adest fundamentum monstrans illam prudenter imperari: sed quando utraque pars proponitur ut verè, & practicè probabilis, licet una sit probabilius, quilibet proponitur ut nixa fundamento gravi, adeoque ut prudenter imperabilis: ergo quilibet assensus erit assensus à voluntate prudenter imperatus.

Probatur 2. Omni illi parti potest intellectus praestare prudentem assensum, quæ nititur fundamento gravi non enervato à rationibus contrariis, sed quilibet pars contradictionis, seu æquè, seu minus probabilis sit, nititur fundamento gravi non enervato à rationibus contrariis per n. 48. ergo cuilibet parti potest intellectus praestare prudentem assensum.

Confir. Potest intellectus amplecti non solum majus, sed etiam minus bonum apparens; nec apparentia minoris boni enervatur in concursu apparentiæ majoris boni, ergo etiam intellectus potest prudenter assentiri vero minus apparenti, relictò vero magis apparenti: nec verum minus apparens enervabitur, in concursu veri magis apparentis.

Obj. I.

Obj. 1. Evidens nobis est alterutrum ex fundamentis oppositi vel esse falsum: quia utrumque contradictorium nequit esse verum, vel etiam inferre conclusionem: quia ex vero non se quitur nisi verum, ergo alterius partis fundamenta nec in se, nec quoad nos gravia sunt; non in se, quia vel falsa sunt, vel non illativa conclusionis: non quoad nos, quia fundamentum grave quoad nos non est, quod evidenter scimus aut esse falsum, aut non illativum conclusionis. R. c. a. de veritate reali, n. c. imo suppositum, quod gravitas fundamenti sit eadem cum reali veritate; gravitas enim fundamenti consistit in eo, ut diximus num. 38. quod tantam habeat apparentiam veritatis, ut cuiuslibet vi- ri docti, & probi intellectum possit inclinare ad prudentem assensum, Licet ergo evidens sit alterutrum è fundamentis esse reipsa falsum: quia tamen incertum nobis est, quod illud ex duabus sit, & utrumque etiam in concursu alterius tantam retinet apparentiam veritatis, ut possit movere ad prudentem assensum, sit ut utrumque maneat grave quoad nos, seu probabile. Instantiam habes in honestate objectiva apparente, quæ componi potest cum dishonestate reali, licet honestas realis cum eadem compo- ni nequeat.

Obj. 2. Stante æqualitate motivorum pro utraque parte contradictionis, non potest intellectus ulli parti assentiri, sed necessariò manet suspensus, instar bilancis in æquilibrio, cum unum motivum tantum retrahat ab assensu, quantum alterum inclinat. Confir: Implicit ut aliquis oculis lustrans aliquem colorem, verè, & serio pronunciet, hic color non est magis similis albo, quam nigro, & nihilominus eodem instanti affirmet, hic color albus est, non niger; ergo repugnat ut quis serio enunciet: Hæc opinio non magis est similis vero, quam falso, & nihilominus pro posteriori serio enuntiet: hæc opinio vera est, non falsa.

R. 1^{mo}. Hanc objectionem solvendam Adversariis in casu, quō proponitur duplex objectum habens æqualem vim movendi voluntatem; sicut ergo tunc non obstante æqualitate motiva potest voluntas seipsum liberè determinare ad alterutrum: ita & poterit intellectum suō imperiō: cūm hic non minus reperiat objectum formale in apparenti veritate, quam voluntas in apparenti bonitate, juxta nu. 46.

R. 2^{do}. n. A. nam sicut manus imprimendo impetum, inclinat bilancem in unam partem; ita voluntas suo imperio addit novum pondus, & determinat intellectum ad certam partem contradictionis: nam quæ motiva propter apparentem eorum æqualitatem movent ad utrāque partem, & quoties intellectus non potest à se determinari: quia objectum non est evidens, determinatur per voluntatem, quā eligit assentiri uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum: utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentiri: ex quo patet, quod ob æqualitatem motivorum intellectus suspensus non maneat, sed determinari possit à voluntate; cūm finem suum etiam in apparenti veritate reperiat.

Ad Conf. R. conc. A. n. conf. Disparitas est, quia oocularis experientia fundat judicium intuitivum videns per species proprias colorem sicut est in se: adeoque dum videt non magis similem albo, quam nigro, non potest asserere potius album, quam nigrum: quod si tamen judicium r̄um formaretur non dependenter ab oculari experientia, sed dependenter à motivo probabili per discursum, ita ut sensus r̄mæ propositionis sit: hic color vi motivorum præsentium non habet majorem apparentiam albi, quam nigri, posset intellectus prudenter judicare esse determinatè album, & non nigrum, adeoque argumentum contra nos nullum est.

52

Similiter argumentum resolvitur, quo dicitur: Repugnat iudicare album, quod videtur similius nigro, ergo nec verum quod videtur similius falso; sed minus probabile est similius falso, ergo in concursu probabilioris non potest judicare verum. R e-
 nim si de oculari experientia sermo sit, verum esse antecedens, falsum vero si judicium illud formetur de motivo fallibili. Pro consequentia etiam admitto quod non repugnet illud judicare esse verum veritate reali, quod videtur esse similis falso. Adsubsumpt. vero dico: id quod judicatur minus probabile, non judicatur accedere ad falsitatem, sed solum habere majorem apparentiam, sed fallibilem accessionem ad falsitatem: & similiter quod judicatur probabilius, non judicatur magis accedere ad veritatem realem, sed solum habere majorem apparentiam, sed fallibilem accessionem ad veritatem: quæ apparentia major cum omnino sit fallibilis, potest reici, & ex imperio voluntatis judicari altera vera, nempe probabilis: cum etiam possit conjungi cum veritate. Proinde verum est, quod album & nigrum reale, sicut & verum, & falsum reale se invicem absolute excludant: secus vero, quod probabilitas vera albedinis, & æqualis, aut minor probabilitas nigredinis; item probabilitas veri, v. g. circa honestatem objecti, & æqualis, aut major probabilitas circa ejusdem inhonestatem se invicem excludunt: nam nulla est contradictione: *Probabilius est hoc objectum esse illicitum, & probabile est esse licitum*, quoniam certum sit hoc utrumque morale judicium non posse simul esse verum veritate reali, licet possit simul esse verum veritate apparenti. Unde quod bene notandum, qui affirmat opinionem probabiliorem, vel probabilem; non affirmat illam esse veram veritate reali: immo nec credit esse veram etiam assensu probabili: quia alias dum concedit etiam contrariam esse probabilem, haberet duos assensus probables de objectis contradictoriis, ut bene notat Card. de Lugo. *disp. 10. de fide sect. 1.*

53 Obj. 3. Testes æquales numero, & dignitate, qui opposita de visu deponunt, nihil probant, sed se invicem elidunt, ergo similiter motiva omnino æqualia, & DD. æqualis authoritatis se invicem elidunt, rémque in eo statu relinquunt, ac si nullum motivum pro se, Doctorem haberet. Rdet Card. *diss.* 6. *cap.* 5. id esse verum in quæstione facti, falsum autem in quæstione Juris, & præcurrit ad experientiam: quâ certum habemus, quòd in quæstione facti ex depositione talium testium res maneat dubia, ut patet in judicio Salomonis, apud quem super filio deposuere duæ mulieres litigantes. E contrà DD. ut experientiâ pariter habemus cùm considerant rationes pro una, & altera parte æquè probabiles, non harent dubii, sed unus hanc, alter alteram opinionem amplectitur: hujus rationem reddit *diss.* 15. *art.* 8. ex ipsa natura facti, & juris: nam quæstio facti non tantum speculativè, sed etiam practicè consistit in indivisibili, secùs quæstio Juris. Quæstionem autem facti consistere in indivisibili aliud non est, quâm quòd sit necesse esse factum, vel non esse factum. Practicè dicitur consistere in indivisibili, quod non habet latitudinem rerum agendarum, quæ pro utrâque contradictionis parte admittat rationes graves, & humanæ menti accommodatas; utramque reddentes credibilem: Cùm ergo quæstio facti non sit rerum agendarum; eo ipso ipsius latitudinis incapax est, secùs verò quæstio juris. Hæc responsio bona est.

Respondet tamen cum Moya c. A. n. cons. nam quando duo testes æqualis alias authoritatis contraria de visu deponunt, unus v. g. heri à Petro occisum esse Cibinii Paulum, alter vero eundem Petrum toto eo die Claudjopoli fuisse; evidens fit alterum horum formaliter mentiri, adeoque nullus horum est certæ, ac indubitate authoritatis, imò nec probabilis: quia deficiente autoritate non est fundamentum, cui hoc judicium inniti possit: è contra Authores opposita opinantes licet certum sit al-

fit alterutrum re ipsa falli, in hoc concursu non omittunt autho-
ritatem; cùm ea aliunde ex nota probitate, & scientia, nobis
perspecta sit, & in præsentí casu certum moraliter quemlibet co-
rum gravibus fundamentis niti, quæ virum probum, & in facul-
tate morali bene versatum vehementer alliciunt ad assensum rei,
de qua agitur, idque de utriusque opinionis Doctoribus, atten-
tâ eorum autoritate verè, & prudenter judicamus; ideoque fit
utriusque assertionem in hoc conflictu adhuc manere probabi-
lem.

Obj. 4. Nemo unquam experitetur in se hunc actum: Ego cre- 54
do hoc, sed video contrarium esse probabilius, vel æquè pro-
babile. Confir. 1^o. Hic actus involvit contradictoria, quam-
vis censem extremum A. verisimilius extremo B. nihilominus
censeo extremum A. esse falsum, & extremum B. esse verum,
ergo. Confir. 2^o. Stultum est dicere: sententia affirmans hunc
contractum non esse usurarium, est vera; nihilominus senten-
tia contradictoria habet meliora fundamenta.

Resp. Haun. nimis intrepidè Adversarium testari de omnium
hominum experientia, de qua contrarium habemus, & tantum
dem est, ac si diceret: nemo in se experitetur hunc actum: volo face-
re hoc, et si videam oppositum esse melius, quod tamen falsū agno-
scunt etiam ipsi Adversarii. Dico ergo, hoc assumptum verum
esse de ordinario; quia plerūque docemus, & judicamus pro-
babiliora: fieri tamen potest in practicis, ut quis sic judicet, præ-
cipue quando interest voluntatis sic inclinare intellectum.

Ad 1. Conf. nego Assump. nam etiā cùm secundū Philos.
8. phys. c. 4. falsa possint videri probabiliora veris; sine ullo ab-
surdo potest judicari extremum apparerter verius esse falsum.
Ad 2. Dico stultum esse id affirmare sine gravi fundamento; nam
cum gravi fundamento prudenter possumus affirmare hunc con-

tractum non esse usurarium; cùm hæc apparentia fallibilis sit, & incerta. Pro reliquis Obj. solum yendis.

55 Nota 1. Intellectum non minùs, ac alias potentias ex innato pondere ferri in suum objectum, seu verum: quia tamen probabiliora non hoc ipso vera sunt; ideo non est contra innatum pondus intellectus assentiri minùs probabili, cùm etiam per hoc sit magna spes assequendi verum: prudentius tamen cæteris paribus eligitur assensus probabilior; cùm probabiliora sint media aptiora ad obtainendam cognitionem veritatis objectivæ. Ex hinc tamen malè infertur: ergo electio assensus minùs probabilis, est imprudens positivè, quamvis possit dici negativè imprudens, hoc est minùs prudens: nam imprudentia positiva est, quando electio fit ex motivis levibus, & non satis perpensis: cùm hæc sit facilè errori obnoxia.

Nota 2. Hæc duo judicia multum differre, *Hæc conclusio est probabilis, & hæc conclusio est vera.* Iustum dicitur modale, & reflexum supra ipsam motivorum probabilitatem, & potest subinde esse evidens: cùm certò nobis constat motiva esse probabilia. Secundum verò est absolutum; cùm absolute affirmet prædicatum convenire subjecto, licet ex motivo fallibili. Judicia modalia, & reflexa possunt formari de utróque extremo contradictionis sine repugnantia, v. g. probabile est hunc contractum esse usurarium, probabile est, non esse usurarium; nam horum objectum materiale est probabilitas relucens in motivis; cùm ergo habeant motiva diversa, habent etiam objecta diversa, adeoque nulla est contradic̄tio: è contra judicia probabilita directa, & absoluta formari non possunt de utróque extremo contradictionis, dicendo: v. g. hic contractus est usurarius, hic contractus non est usurarius, nam implicat, ut idem prædicatum conveniat absolute subjecto eidem, & simul disconveniat.

Nota 3. Esse quidem contra leges aliquem per viam probabi-

liùs abducentem à termino, neglectâ viâ probabiliùs ducente ad terminum: quia talis ductor exponit amicum periculo non asse- quendi terminum; at verò asserendo assensum minùs probabi- lem esse prudentem, & licitum: nec intellectus, nec voluntas aberrat à termino, seu fine suo: nam finis intellectus est etiam cognitio obscura, & incerta, juxta num. 46. voluntas verò se- quendo ductum assensus prudentis, licet minùs probabilis, nihil agit contra finem suum ultimum: quia implicat peccare pruden- ter agendo.

Nota 4. Verum esse, quòd in Authoribus contradictoribus nulla sit præsumptio veritatis realis in utrísque simul; nam im- plicat, ut utrúmque extreum sit simul verum realiter. falsum verò est, quòd nulla sit præsumptio veritatis apparentis, seu gravium fundamentorum, quibus utérque movetur ad pruden- ter eis assentiendum.

Nota 5. Quòd Authoritas fundetur in scientia, non quæ sem- per, sed quæ plerūmque attingit veritatem in rebus incertis: hæc enim est sufficiens motivum, ut in hac, vel illa particulari conclusione judicemus Authorem non errare, dum aliunde op- positum non constat. Unde licet certum sit alterutrum illorum errare; hæc tamen certitudo aliud non evincit, quàm quòd ne- ute illorum habeat scientiam suæ conclusionis: non autem quòd non habeat probabilitatem, cùm utráque adhuc nitatur funda- mento gravi.

SECTIO TERTIA.

An omnis opinio probabilis, sit eō ipso
practicè probabilis?

Ultimum judicium practicum proximè dirigens ad licetè, & honestè operandum debere esse certum moraliter diximus

num. 8. Difficultas nunc est, an omnis opinio probabilis possit fundare tale judicium, præsertim cùm plures Authores in usu opinionis benignæ, & minus probabilis requirant præter certitudinem etiam evidentiam in tali judicio, de licito usu opinionis minus probabilis, pro hujus rei decisione.

56 Nota 1. Ex Cardena *Diss.* 15. distingvi quæstionem directam cum sua resolutione, à quæstione reflexa, & ejus resolutione. Directam dicimus, quæ dependenter à motivis directis, seu extrinsecis, seu intrinsecis inquirit veritatem objecti, nihil considerando, an licitus, an illicitus sit usus illius. Reflexa vero præsupponit directam quæstionem, cum sua resolutione, & supra hujus probabilitatem se reflectens inquirit, an data resolutio, seu responsio, id est actus judicij opinativus sit licet practicabilis. Hinc quæstio directa cum sua resolutione, utpote præseindens à circumstantiis, quæ cum actione in particulari conjunguntur, dicitur speculativa; reflexa vero cum sua resolutione dicitur practica: quia conjuncta cum probabilibus circumstantiis: sic v. g. directa quæstio erit, an aqua ex vite profluens sit apta materia ad baptizandum, indagat enim rei veritatem, an scilicet haec aqua sit ejusdem rationis cum elementari; & resolutio, qua visis fundamentis, affirmas esse materiam validam baptismi, est judicium directum speculativum, postea vero si te reflectens supra hoc judicium directum, quæras, an dependenter ab eo sit licitum baptizare in aqua de vite, quando adest aqua elementaris, est quæstio reflexa practica, & resolutio, seu judicium desuper datum, quo negat licitum, est judicium reflexum practicum. Directa resolutio, seu judicium, solet etiam dici dictamen, seu regula morum remota; proxima vero judicium practicum reflexum.

57 Nota 2. Judicium utrumque seu dictamen habere diversa objecta: sic in casu proposito judicij directi objectum materiale, est a-

est aqua de vite; formale verò, seu ratio assentiendi, sunt funda-
menta, & motiva seu intrinseca, seu extrinseca, suadentia u-
nitatem specificam hujus aquæ cum aqua elementari. Reflexi
verò judicij objectum materiale, est ipsum judicium directum
probabile, seu probabilitas illius speculativa de substantia aquæ
de vite: quia tamen quæstio reflexa inquirit, an hæc probabilitas
speculativa, sit licita in praxi, sequitur quòd quæstio reflexa
semper inquirat de aliquo novo objecto, nimirum de nova cir-
cumstantia impèdiente, quòd minùs judicium directum probabi-
le, maneat practicè probabile; hinc si nulla talis occurrat, per
judicium directum speculativè probabile, fit etiam practicè pro-
bable, quòd si verò occurrat aliqua, fit practicè improbabile:
sic in casu proposito, cùm ex parte baptizantis occurrat præce-
ptum charitatis applicandi materiam certam, & ex parte bapti-
zandi periculum damnationis, si baptizatus in materia incerta
fit, quæ circumstantiæ reflexè cognitiæ ostendunt judicium dire-
ctum speculativè probabile, esse practicè improbabile, se-
quitur quòd ad quæstionem reflexam, an scilicet in aqua de vite
quis licetè baptizetur, fiat resolutio negativa, quæ est ultimum
judicium practicum certum, & evidens, per quod opinio dire-
cta speculativè probabilis, redditur practicè improbabilis.

Nota 2. Hinc sequi etiam objectum formale judicij reflexi cf. 58
se diversum ab objecto formalí judicij directi: nam formale ob-
jectum seu motivum judicij reflexi est ipsa evidentia probabilita-
tis judicij directi, & subinde alia circumstantiæ distinctæ ab actu
directo v. g. præceptum, votum, juramentum, promissio, con-
tractus, aut alia similis circumstantia, vi cuius operans ad par-
tem securiorem sequendam, & oppositam illi, quam judicium
directum affirmabat esse licitam. Unde fit, ut eadem opinio,
quæ vi judicij directi erat speculativè probabilis, & licita, fiat
vi judicij reflexi considerantis accessionem talis circumstantiæ pra-
cticæ

Et iēcē improbabilis, & illicita. Nēque dicas non esse eandem opinionem, cūm judicium reflexum habeat objectum saltem inadæquate divisum à directo, illam nempe circumstantiam. id verum esse, sed jam modum loquendi sic obtinuisse apud Theologos. Hæc Esparsa q. 23. art. 5.

59 Nota 4. Sicut non veritas realis, sed saltem apparens, & relucens in motivis directis probabilibus, terminat actus opinatios; ita similiter actus voluntatis non tendunt in ipsam honestatem realem, utpote incertam, sed in apparentem, seu relucentem in cognitione judicativa probabili. Unde duplex est honestas objectiva, una realis, èstque illa, quam affirmat, vel negat actus directus inesse operationi, tenetque se ex parte objecti in se, ita tamen ut prout est in se, non moveat intellectum ad affirmandum vel negandum, sed solum prout relucet in motivis probabilibus. Altera dicitur formalis, èstque illa, quam habet operatio, non quidem in se, nec in motivis probabilibus, sed prout substat cognitioni directæ intentionaliter repräsentanti, & affirmanti honestatem materialem inesse operationi. Unde aliud non est honestas formalis, quam cognitio directa probabiliter, & ex motivo gravi affirmans honestatem materialem inesse operationi: nam objectum prout cognitioni substat, aquirit rationem formaliter honesti, & prudentem eligibilitatem: cūm hæc honestas affirmetur dependenter à gravi, & prudenti motivo.

60 Porrò hanc honestatem formalem, ut constitutam per cognitionem probabilem directam, præsupponit cognitio reflexa, & illius certam probabilitatem de honestate materiali (quam reflextens se supra actum directum videt experimentaliter in actu directo, utpote elicito ex motivo probabili) habet pro objecto formaliter motivo, & sic judicium reflexum, quod formaliter dirigit voluntatem, non est probabile, sed certum, & certificat intellectum.

intellectum formaliter de honestate operationis exercenda, quam prius non nisi cum formidine asseruerat, in exemplo res pateat; adducitur in quæstione, an contractus A. sit licitus, seu non usurarius, ego consideratis in utramque partem rationibus ex gravi motivo pronuncio licitum: hic assensus ex principijs directis conceptus est formidolosus; metuit enim ne pars contraria vera sit, intellectus deinde reflectens se supra hunc assentum directum probabilem, cognoscit evidenter, experimentaliter illum fuisse ex fundamento gravi elicitem, nec occurrere ullam novam circumstantiam, qua ostendat illum contractum esse prohibitum, proinde concludit certò esse practicè licitum.

Ubi vides hoc ultimum judicium non esse amplius formidolosum, sed certum, concluditur enim virtualiter saltem per hunc discursum (qui facit id, quod pensatis omnibus prudenter judicat non esse prohibitum, non peccat, sed ego pensatis omnibus prudenter judico hunc contractum non esse prohibitum, ergo illud faciens non pecco) in quo major est certa, ut fatentur ipsi Adversarii, quia alias nullam regulam licti, & illiciti habemus, minor constat etiam: quia experimentaliter videmus directum judicium processisse ex fundamento gravi. con. est in forma. Unde frustra opponit Zella DEI l. 39. fol. 351. esse impossibile hoc judicium practicum certum: cùm opinio probabilis non sit certum, & evidens principium de honestate objecti; sed tantum probabile; adeoque nec conclusio inde deducta potest esse plus, quām probabilis & enim id verum esse de judicio directo, sed nego suppositum nos illud assumere in præmissam hujus conclusionis, ut patet ex facto syllogismo. His positis.

Dico r. Non omnem opinionem speculativè probabilem, esse 61 etiam practicè probabilem. Probatur, si omnis opinio ex directis principijs probabilis, esset etiam practicè probabilis, valeret hæc consequentia: Hæc opinio est speculativè probabilis, ergo e-

go etiam practicè; sed hoc est falsum: quia non semper valet argumentum à resolutione quæstionis directæ, ad resolutionem quæstionis reflexæ, sic licet sit probabile lixivium, aquam rosaceam &c. esse materiam aptam baptismi, male tamen infertur: ergo dum adeat materia certa, licet in lixivio, aquâ rosaceâ &c. baptizo. Similiter probabile est attritionem cognitam ut talem esse sufficientem dispositionem ad sacramentalem absolutionem, & tamen male infertur: ergo licet accedo ad Sacramentum Pœnitentia in articulo mortis cum attritione cognita ut tali: nam in resolutione quæstionis reflexæ, accedit nova circumstantia, nempe præceptum charitatis, reddens ultramq; opinionem practicè improbabilem, ex num. 57. nam baptizans tenetur infanti, & quilibet in articulo mortis sibi ipsi prospicere de salute meliori, modo quo potest, quod utrobique per usum opinionis directæ negligitur.

- 62 Dico 2. Omnem illam opinionem directè probabilem esse etiam practicè probabilem, quando in resolutione quæstionis reflexæ supra directam nulla occurrit nova circumstantia adferens novam obligationem præter illam, quæ adfertur in resolutione quæstionis directæ, ac proinde si occurrat nova circumstantia adferens novam obligationem contrariam illi, quæ habetur in resolutione quæstionis directæ, tunc opinio speculativè probabilis, evadit practicè improbabilis: Ita Cardenas cit.

Probatur utraque pars: ad hoc ut opinio aliqua sit practicè probabilis, debet fundare judicium moraliter certum de lictu usi, seu honestate operationis exercendæ, sed tunc solùm fundat tale judicium, quando in quæstione reflexa post diligens examen nulla occurrit circumstantia adferens novam obligationem illi contrariam, quam adfert resolutio quæstionis directæ: nam tunc intellectus reflectens se supra judicium directum de honestate operationis, videt in illo certam probabilitatem de honestate

state operationis, néque quidquam de novo occurrere in contrarium, adeóque vi hujus motivi, seu objecti formalis potest elicere judicium reflexum certum de honestate operationis exercendæ, ac consequenter talis opinio erit verè practicè probabilis; è contrà verò si occurrat in qua stione reflexa nova circumstantia, novam adferens obligationem, quæ obstat, quō minùs judicium reflexum conformetur judicio directo, ut patet ex numero priori. Opinio ex judicio directo probabilis, erit practicè improbabilis, nam intellectus certus vi talis circumstantiæ de inhonestate objectiva operationis, non potest asserere illius usum esse licitum, & honestum.

Obj. i. Id, quod est falsum, non potest certò, & evidenter 63 certificare operantem de honestate operationis; sed judicium reflexum est sèpè falsum: nam objectū judicii reflexi est hæc propositio: hæc operatio prudenter existimata ut licita, est licita, sed hæc sèpè est falsa: quia sàpe judicatur prudenter esse licitum, seu honestum, quod est inhonestum. R. c. maj. n. min. ad prob: c. iterum maj. n. min. cum sua probatione: nam illa propositio àequivalat huic: hæc operatio prout substat judicio directo judicanti esse honestam honestate materiali, certò apparet honesta honestate formalis, seu certa est probabilitas honestatis; quia scilicet intellectus experimentaliter videt judicium directum ex gravi fundamento asserere hanc operationem esse licitam, & honestam: quod objectum nunquam est falsum, licet objectum judicii directi, scilicet honestas materialis ab eo affirmata sèpè sit falsa; hæc autem non est objectum judicii, ut diximus num. 57. & sequenti, quod bene notandum. Nam plura argumenta fiunt ex confusione honestatis materialis cum honestate formalis contra hanc sententiam, ut videri potest apud Cella DEI, qui ingenuè fatetur se nescire ex probabilitate hanc judicii reflexi certitudinem, ac evidentiam elicere: verùm reponi potest, quòd in si-

in simili dixit Honoratus Fabri *de opinione probabili Dialogo 7.*
fol. 148. Mirum mihi inquit accidit antea probabilistas nunquam
 hoc intellexisse, vel potius dissimulasse; neque enim utriusque
 judicii idem est objectum, judico probabiliter verum esse ob-
 jectum, judico certò prudentem esse assensum, judico etiam
 certò prudentem, & rectum esse usum; unde ex certa probabi-
 litate, certa prudentia, tum probabilis assensus, tum recti usus
 consequitur, vel potius judicii practici, quô judico certum esse
 usum, sic ille conformiter ad dicta à num. 57.

64 Obj. 2. Qui incertus est, an rem illicitam fecerit, certus esse
 non potest se non peccare, sed qui opinionem probabilem benignam
 est secutus, id fecit, quod probabiliter tantum putabat
 esse licitum, ergo certus non est, se non peccasse. R. hoc argu-
 mentum iterum confundere honestatem materialem cum forma-
 li. Unde d. maj. qui est incertus, an rem illicitam fecerit secun-
 dum se, propositam tamen ut licitam, per ultimum judicium
 practicum certum, certus esse non potest se non peccasse n. maj.
 qui incertus est; an rem illicitam ut taliter propositam fecerit c.
 maj. & d. min. sed qui opinionem probabilem benignam est se-
 cutus, id fecit, quod probabiliter tamen putabat esse licitum,
 per actum remotum, & directum conc. per actum reflexum, &
 ultimum, seu per dictamen ex principiis reflexis elicitem n. min.
 & sub eadem distinctione consequentiam. Nam per hoc judi-
 cium reflexum cognoscit certò, & evidenter licitam esse electio-
 nem objecti, quod per actum directum prudenter honestum, aut
 non prohibitum judicatur, licet secundum se forte sit prohibi-
 tum: nam voluntas per num. 59. non tendit in objectum ut est
 in se, sed ut est in intentione, & sicut est propositum, & applicatum
 per cognitionem. Potest igitur aliquis esse certus de non
 peccato, licet non sit certus, objectum secundum se non esse
 honestum, sic in cap. *Inquisitorum. 14. de sent. excom. defini-*
tur: U.

tur: Uxorem posse licetè reddere debitum, licet dubitet de valore Matrimonii.

Obj. 3. Si omnis opinio probabilis fundaret judicium reflexum certum de licito usu actionis, quando nempe nulla occurrit circumstantia contraria, in resolutione questionis reflexæ, tunc quicunque sequeretur tale judicium reflexum, nunquam peccaret, sed hoc est falsum, ergo. maximè in casu, quo quis formaret tale judicium reflexum in sententia minus probabili, & tuta contra probabiliorem, & tutiorem: nam ponamus ut contingere potest, quod contractus, qui per judicium reflexum resolvitur licitus, sit illicitus in se, & usurarius; hoc positō, minorem hoc syllogismō probat Gonzalez, quō se convinci fatetur: qui deliberatē facit rem intrinsecē, & objectivē malam, is peccat, nisi invincibilis ignorantia excusat, sed ego facio hic & nunc intrinsecē, & objectivē malum, nempe contractum re ipsa usurarium, nec excusat me ignorantia invincibilis, quā contraho usurariē in circumstantiis, in quibus prudentissimē potentia proxima antecedente possum sine labore judicare contractum probabilius esse usurarium ergo. Hoc argumentum desumptum est ex Cella DEI.

¶ c. maj. n. min. ad hujus probationem admitto casum, ad syllogismum ¶ c. maj. n. min. quoad secundam partem, vel claritatis gratiā dist. non me excusat ignorantia invincibilis sumpta pro conscientia omnis omnino cognitionis repräsentantjs mihi contractum intrinsecē malum conc. (nam ut supponitur in hoc conflitu opinionum, actu datur judicium directum representans contractum esse probabiliter usurarium; adeoque non est carentia omnis omnino cognitionis de illius usura) non me excusat ignorantia invincibilis sumpta pro carentia cognitionis debitæ, & necessariæ ad obligationem certam inducendam scilicet ad non celebrandum hic, & nunc contractum, quem ex princi-

piis directis judico probabilius esse usurarium n. min. Eadem est responsio ad hujus probationem. pro qua tamen.

66 Nota 1. Eo ipso quod dentur fundamenta gravia de honestate, & inhonestate hujus contractus, incerta est existentia legis universalis prohibentis celebrari contractum, è contrà verò certa est possessio libertatis contra legem; cum ergo in dubio melior sit conditio possidentis, datur hic, & nunc jus agendi, adeoque sic operans caret cognitione necessaria, nempe de certitudine existentiæ legis, vi cuius obligatur non celebrare talēm contractum. Instantia clara est de principiis Adversariorum, qui cum communi admittunt meliorem esse conditionem possidentis saltem in materia justitiae etiam adversus opinionem probabiliorem, vi cuius ostenditur res esse probabilius aliena, tamen non restitutio est intrinsecè mala, & ex principiis extrinsecis supponitur probabilius esse facienda: si ergo hic ignorantia sufficiens datur ad excusandum pœnitentem à peccato, cur non & in altero casu?

Nota 2. Ex D. Thoma *quodlib. 8. art. 15.* eam ignorantiam esse inculpabilem, quæ versatur circa id, quod quis scire non potest, vel scire non debet. Idem habet *quodlib. 17. de veritate. art. 3.* Hinc Vasquez *1. 2. Disp. 117.* agens de ignorantia antecedente ad omnem veritatem, ait: hæc dicitur invicibilis, vocatur etiam probabilis: invicibilis quidem, quando nullâ diligentia humanâ impediri potuit. Probabilis verò, quia licet potuerit vinci, non tamen debuit, eo quod probabilitate sic judicatum fuerit, ultra quod nullus debet inquirere, sic ille. Unde deducitur: licet in casu posito majus habeatur fundamentum ad judicandum contractum secundum se esse malum, & prohibitum, & vi hujus fundamenti possit quis potentia antecedente sic judicare, tamen cum videat dari sententiam probabilem de opposito, non tenetur illud judicium formare, sed potest suspendere

dere iudicium de malitia contractus, ergo illa ignorantia mali-
tiæ licet sit vincibilis, non debuit vinci, ergo est ignorantia pro-
babilis. Ex quo habes secundam responsonem ad argumentum
positum.

SECTIO QUARTA.

An sit licitum sequi sententiam minùs
tutam, minùsque probabilem in concur-
su probabilioris, & tutioris?

Nota 1. Ex his dictis haetenus facile constare, quid sit op- 67
nio probabilior: nam cum respectum dicat ad probabi-
lem, quæ est assensus incertus ex motivo comparativè gravi; il-
la dicitur probabilior, quæ graviore motivo sive intrinseco, sive
extrinseco nititur. Juxta P. Henno autem opinio probabilior
est, quæ spectatis rationum circumstantiis, pondere, & autho-
ritatis gravitate, appareat verisimilior. *disp. hic 3. q. 1.* Tuta dici-
tur, quæ ad primum deducita, excludit peccatum, & cum id fieri
possit simpliciter, nempe ut excludat non tantum formale pecca-
tum, sed etiam materiale, consequenter & periculum materia-
lis peccati, vel ut excludat solum formale, non autem materia-
le peccatum: si 1^m modò excludat, dicetur tuta simpliciter, &
per se, & inter has nulla datur tutior, ut observat Honoratus
Fabri *in Apol. Dialog.* nam cum peccatum consistat in indivisiibili
eo ipso, quod totum excludere debeat, non potest una magis
excludere, quam altera, consequenter nec esse tutior, si tamen
una nitatur motivo certiori, aut prudentiori, seu probabiliori,
poterit dici certior, & prudentior; quod si vero excludat 2dō
modò, dicetur tuta per accidens, nempe titulō ignorantiae in-
vincibilis, quam etiam probabilem vocat Vasquez, vi cuius cre-
ditur

ditur aliquid esse licitum, quod re ipsa illicitum est. Juxta cit. P. Henno verò opinio tutior in materia morum est, in cuius sequela minus est peccandi periculum. Hinc facile colliges, quæ sit tutior, quæ minùs tuta, illa nempe est, quæ favet legi contra libertatem: nam in dubio an lex existat, eam sequendo, sive sit, sive non sit lex, certò non peccat, adeoque excluditur tam materiale, quām formale peccatum; illa verò quæ favet libertati contra legem minùs tuta dicitur: quia ex suppositione quòd lex existat, quam tamen probabiliter non existere afferit; excluditur solùm formale, non autem materiale peccatum, adeoque favens libertati non recedit tantùm à peccato, quām favens legi.

68 Nota 2. Gravis controversia est inter DD. à non longo tempore (nam ut in quæst. facti notat Stephanus de Schamps antiqui ferè convenient) in 4. abiére sententias, *1ma* omnium rigidissima ad partem semper tutiorem seständam contra minùs tutam etiam probabiliorem, ita Jansenistæ, Vincentius, Varon, Contenson, & pauci alij.

Secunda ex opposito laxissima concedit usum opinionis minùs probabilis, minùsque tutæ contra probabiliorem, & tutiorem in omni materia, nempe tam de honestate, quām de valore actus, inter quas magnum discrimen est: nam opinio prudens potest impedire, ne actus sit formaliter illicitus, at verò nunquam potest conferre actui valorem, & efficaciam, si de se non sit validus, & efficax.

Tertia communissima, & à saeculo ferè omnium censet licitum esse sententiam minùs probabilem sequi, & etiam minùs tutam, nisi quæstio sit de valore Sacramenti, & damno tertii vitando. *4ta* viam quasi medium ingressa, docet obligationem esse sequendi semper probabiliorem, ita ut nunquam liceat sequi minùs probabilem, minùsque tutam, quin tamen sit obligatio sequendi tutiorem, sed minùs probabilem, ita pauci RR. Hoc prænot.

Dico I.

Dico 1. Falsam esse primam sententiam obligantem sectari 69 semper partem tuiorem. Ratio est rīmō, quia hæc sententia opponitur principio certo, nempe Decreto Alexandri 8vi, quo damnat tertio loco hanc propositionem: *non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*: quia potest dari minùs tuta, seu favens libertati contra legem, quæ sit probabilissima; & tamen vi hujus sententiæ non licet illam sequi. Secundò se queretur malè dispensâsse Pontifices in matrimonio rato, in voto solemni, cùm pars opposita utpote favens legi excludat, totum peccatum, consequenter sit tuior.

Tertio: Graviter deliquisse S. Thomam tradendo opiniones probabiliores, minùs tutas, relictis tuioribus stantibus, quarum longum catalogum censet Moya *tract. 1. q. 5.* nam sic occasio nem dedit pluribus ejus autoritate nixis, ut relictis tuioribus aliorum DD. sequerentur minùs tutas, & faventes libertati.

Dico 2. Licetum est sequi sententiam minùs probabilem, mi-70 nusque tutam, in concursu probabilioris, & tuioris, quoties in resolutione quæstionis reflexæ non occurrit nova circumstan tia restringens ad tuiorem, vel probabiliorem.

Probatur 1. Authoritate SS. Canonum, & Pontificum: quia cap. *Ego solis. dist. 9.* expressè dicitur ex S. Augustino: rationes probabiles sufficere ad regulandum judicium prudens; cap. *sicut quædam. dist. 14.* ex S. Leone dicitur: *In his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum.* Deinde plures Pontifices processisse secundùm opinionem sibi visam minùs probabilem ostendit Cardenas *in 1. crisi. d. 15. c. 2. art. 7.*

Probatur 2. Ex concordi Doctorum consensu, qui teste Arsd. Tom. 2. p. 2. *tract. 1. cap. 1.* ex omni ætate, statu, conditione af ferri possunt pro sententia benigna Antores typo editi plures, quam

quām 160. Terillus hīc q. 22. citat eorum 200. plerōsque à se in-spectos. Ex quibus aliquos ob oculos pono.

Cardinales, & Episcopi, qui tenent sententiam hanc recen-sentur apud *Deschamps in q. facti, cap. 3. Alb. M. S. Anton. Pa-lud. Porrorin. Alv. B. Ledes. Zerd. Mald. Bonac. Bardus. Carom. Tolet. Lugo.*

Ex Tomistis *Aug. Vigner. Vict. Mercad. Nazar. Nugn. Martia. Blanchus, Hacquetus apud Desch. cap. 5.* Accedunt *Joann. à S. Thom. Topia, Gravina, Navarrett &c.*

Ex Augustinianis, *Salon, Arragon, Beja, B. Poritius.* Ex Carmelitis *Cornejo, Lezan, Urb. ab Ascens.* Ex Benedictinis, *Sai-rus &c.* Ex Cisterciensibus *Lorca, P. à S. Joseph. Malletus apud Desch. cit. supra.*

Sententiam nostram Doctores scholæ Societatis JESU ferè om-nes docent; quorum præcipui annotantur apud *Desch. cap. 8. & Esp. a 233.* qui sic habet: quod ad Auctores attinet, certos, & agentes hac de re in propriis terminis, singulis Theologis partis contrariæ respondet decas, ut minimūm Theologorum pro par-te nostra, idque juxta supputationem ipsorum Adversariorum.

Terillus in Reg. q. 38. n. 33. dicit, pro hac sententia esse 40. ubi pro opposita unus.

Ex Ordine nostro Seraphico Doctor subtilis Joannes Duns-Scotus 4. *dist. 15. q. 2. §. ad argumenta.* Docet furem eorum, *qua in extrema necessitate, & non ante abstulit, non teneri ad restitucionem in pingviori fortuna;* licet restituere sit tutiūs, & juxta aliquos probabiliūs, simile quid habet q. 2. *prologi in fine.* Hac in materia sicuti sunt Discipuli suum Magistrum, *Pelb. Vil-lal. Port. Joan. Pontius, Petrus March. Hauz Conol. Caspers. Ges-vald. Ragg. Bass. in floribus V. conscientia n. 9. Bordonus in pro-pugn. Op. prob. c. 6. Bosco tom. 4. *dist. 8. concl. 5.* Sporer de con-scientia à num. 14. Reverendissimus P. Crescentius Krisper To-tius Or-*

tius Ordinis Seraphici scriptor Tom. 2. tract. VI. de act. hum. dist.
8. q. 3. n. 13.

Nec dicas: Recensita Authorum multitudo nihil probat: quia ⁷¹ argumentum pessimi turba est; inquit Seneca de Beata Vita cap. I. Addit Eliz. Lib. 7. q. 11. §. 2. apud La Croix lib. 1. de conscient. n. 270. Plures ex eis, qui libros edunt, verè Theologos non esse, & multos scientiae morali prouersus impares esse, qui vel in Logicam scribere non auderent, se autem Theologiae moralis Doctores constituunt, quorum proinde numerus nihil ponit in esse.

Nam contrà est 1^{mo} S. Augustinus de quant. cap. 7. dicit: Ultissimum maxima multitudini, excellentissimae auctoritati cedere, & secundum hoc agere vitam; est enim incredibile ex tanta multitudine tot viros præstantissimos, virtute, & Doctrinâ conspicuos errare. Hinc etiam in utróque Jure, ut refert Terillus q. 2. n. 178. dicitur: Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potius vincit numerus Doctorum, vel si numerus sit æqualis, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir ceminet, qui ut singulos vincit, ita cedit duobus.

Contrà est 2. nam nemo prudens contemnit Authores omni exceptione majores, uti constat ex dictis n. 42. Et ratio est, quia præsumi debent nisi gravibus motivis; hinc etiam Adversarii conantur ad suas partes trahere Authores etiam nolentes. Quod dicit Seneca, verum est de popularibus factiosis, qui re non examinatâ feruntur, quò rapit passio, impetus, aut seditionum exemplum.

Contrà est 3. Authores sententiæ benignæ sunt veri Theologi, Elizaldae suppare, nec præsumi debet DEUM in materia mortum adeo universaliter, & necessaria, permisso tam diu errare tot viros probatissimos.

Contrà est 4. Ubi veritas certò comperiri non potest, pro qua parte

parte est multitudo Doctorum, prudenter præsumitur pro ea esse veritas, consequenter pro qua parte est major multitudo Doctorum, prudentius præsumitur pro ea esse veritas; ergo cum pro sententia benigna sint longè plures, gravioresque Doctores, prudentius præsumi potest hæc esse vera.

Probatur conclusio 2. Evidens est, quod is, qui evidenter videt, & judicat aliquam sententiam (non obstantibus rationibus in contrarium etiam probabilibus, sed tamen incertis) esse prudenter, & practicè eligibilem, quod inquam is eligendo talem sententiam, non peccet, sed licet, & honestè operetur, sed qui evidenter videt, & judicat aliquam sententiam sive propriam, siye alienam esse quoad assensum, seu judicium directum honestam, seu licentiam actionis aut omissionis absolutè, & comparativè ad rationes oppositas, esse probabilem, & non enervatam, is evidenter videt, & judicat illam sententiam esse prudenter, & practicè eligibilem, hoc ipso quod sit, & maneat probabilis quoad assensum de licentia, & honestate electionis (nam probabile idem est, ac prudenter affirmabile, ut verum, & eligibile) ergo evidens est quod talis non peccet, sed licet opere tur. sed.

Dices negari suppositum, quod ulla sententia absolutè probabilis maneat, & sit probabilis comparativè ad rationes probabiliores cognitas, ut tales. Verum hæc responsio repugnat communi sensui DD. imò & experientiæ: quia probabilitatem non elidit, nisi ratio in oppositum faltem moraliter certa, ut alias diximus. Et ratio est, quia eō ipso quod fundamentum aliquod sit probabilius tantum, & non certum, tunc adhuc potest esse falsum, & illius contradictorium esse verum; cum reipsa multæ sententiæ olim judicatae probabiles, sint postea declaratae falsæ: sic sententia docens solemnitatem Votorum Religiosorum esse Juris Divini, & non Ecclesiastici, esséque de essentia statū Religio-

ligiosi, olim erat communissima, nunc verò certò est falsa, ut patet ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino.* ergo non hoc ipso, quòd una sententia sit probabilior, opposita absolute est probabilis, & judicatur comparativè improbabili. Denique apparet ipsâ experientiâ id verum esse, quando in electione sententiârum experimur intellectum indifferentem, licet ex una parte sint rationes probabiles: quia scilicet neutræ ostendunt certitudinem, sed potius fallibilitatem.

Probatur 3. Lex non sufficienter intimata, & promulgata non obligat, sed lex sequendi semper probabilem, aut tutiorem partem, non est sufficienter intimata, & promulgata, ergo non obligat. Major est omnium: quia legis essentia consistit in voluntate, & imperio superioris, ut iis subditi dirigantur, sed impossibile est ut iis subditi dirigantur, nisi lex sufficienter intimetur & promulgetur. Minor etiam prob. lex non sufficienter intimatur, nisi intimetur, ut subditi sint certi de tali lege, & ejus obligatione, sed subditi non sunt certi de lege, & obligatione sequendi semper partem probabilem, & tutiorem: nam eō ipso quòd dentur motiva gravia, & magni momenti in contrarium, non datur certitudo de hac lege, & ejus obligatione: repugnat enim certitudo de lege, & probabilitas de non existentia, sive defectu legis; sed dantur motiva gravia, & magni momenti, ut patet ex rationibus allatis, & autoritate, tot, & tam gravium Authorum, quibus ut non innotuerit hæc lex integrô sœculô, quô hæc quæstio agitari cœpit moraliter impossibile est. ergo &c.

Confirmatur: Quicunque prudenter operatur, licetè operatur, cùm implicit prudenter operando errare, sed sequens sententiam minus probabilem, minusque tutam, prudenter operatur, quia sequitur sententiam intrinsecè & extrinsecè probabilem, ergo hanc sequendo licetè operatur. Ita Moya *trag.* I. q. 5. & 6. Carden. *trag.* I. *diff.* 15.

73 Obj. i. Secundum hanc sententiam licebunt omnia scelera, quia pro omnibus invenietur aliqua opinio probabilis; sic probabiliter judicare poterant,

Adam legem DEI esse poenalem tantum, adeoque non obligare in conscientia, aut non obligare sub mortali, quia materia esset levis; *Eva* præceptum odiosum ad se non extendi, quia ante ejus creationem latum erat.

Saul, se posse parcere Regi Amalec, quia erat conforme misericordiae; item gregibus optimis, quia erant pro sacrificio.

Roboam sequens sententiam juniorum, ætate sibi æqualium, tuncautem erat annorum quadraginta, & unius.

Judæi sequentes sententiam scribarum, & Pharisæorum, & totius multitudinis contra Christum. *Pilatus* eosdem sequens, maximè cum audiret Judæos habere legem, secundum quam deberet mori.

Ethnici, & *Hæretici* omnes sequentes sententiam Majorum, & Doctorum suorum, maximè cum nunc etiam tot videant esse ejusdem sensus, & Religionis. Ita Sinnich. Mercor. Gonet, & alii apud la Croix Tom. i. lib. i. tract. i. de Conscientia n. 361.

¶. n. seq. quia certum est non dari opiniones verè probabiles pro omnibus sceleribus, fides enim docet multa prohiberi velut illicita, & habemus moralē evidentiam de multis in se illicitis; Item moralē certitudinem de multis præceptis has vel illas actiones prohibentibus, ergo non potest esse probabile, quod illa sint licita.

Adamo, & *Eva* certum erat, quod præceptum obligaret in conscientia, & quidem graviter, uti ostendit Bellar. T. 4. s. 3. de amiss. gratiæ c. 6. Hinc Gen. 3. v. 3. dicit Eva, præcepit nobis Deus, ne comederemus: & ex poena colligebat gravitatem præcepti, nam addit, ne forte moriamur: ideoque etiam S. Aug. i. Petr. cap. 15. ait: *Adam simul & Eva scientes fecerunt contra præceptum,*

ptum, quia nempe in eis fuit scientia infusa, ita ut S. Thom. de verit. q. 18. a. 6. putet pro statu innocentia nullam in eis fuisse opinionem. Nec obstat, quod S. Aug. de Eva dicat, *maxima libertate habendas prohibitionum rumpere delectata, probabilius existimans non esse mortem, quam timuerat secuturam*, nam hoc ipsum pugnat contra sententiam de sequenda majore probabilitate, recte autem hoc exponit S. Thom. ad 5. Adamum & Ewan jam prius peccasse per elationem animi, & ideo hoc eis visum probabilius, errore scilicet culpabili, & invincibili. Videri potest Esp. in app. a. 3. & seqq.

Saul scivit clarum præceptum Domini, dicit enim 1. Reg. 15. v. 3. *Demolire universa ejus, non parcas ei:* hinc v. 24. dixit, *Peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Videri potest Esp. a. 10. & seqq.

Roboamum peccavisse non dicit scriptura, sed 3. Reg. 12. refert dispositionem illam ad DEI providentiam: egit tamen imprudenter, sequendo consilium minus tutum, in casu, quo periculum damni non poterat removere bona fides, aut ignorancia invincibilis.

Judæos convincebat evidentia miraculorum, vita inculpatæ Christi, nota scribarum, & Phariseorum invidia, si tamen his non obstantibus aliqui invincibiliter errârunt, non peccârunt.

Pilatus scivit, quod per invidiam tradidissent eum, uti habetur Matt. 27. v. 18.

Ethnici, aut *Hæretici* materiales dari possunt saltem ad breve tempus: quod si dubitare incipient, tenentur inquirere, & adhibitâ morali diligentia, in expediendis signis veræ Fidei, & notis Ecclesiæ Christi, agnoscent certitudinem fidei nostræ, & prava fundamenta suæ: unde cum in iis, quæ sunt de necessitate medi, non juvet ignorantia invincibilis, nec bona fides, statim renebun-

nebuntur admittere fidem nostram tanquam unicè tutam: alia omnia sunt in eo, qui sequitur minùs probabilem, nam adhibitā morali diligentia non potest deprehendere veritatem, & ipsum excusat bona fides cum ignorantia invincibili, cùm hæc removeant periculum peccati formalis.

74 Obj. 2. Qui operatur secundūm sententiam minùs probabilem, aut minùs tutam, dicit: Ego nescio an hic contractus v.g. sit honestus, vel dishonestus, scio tamen mihi esse licitum, sed hæc afferens non minùs contradictorium diceret, ac ille qui affereret: Ego nescio an horologium meum artificiale discordet, vel concordet cum motu solari, scio tamen bonum esse horologium: quia magni artifices affirmant bonum esse: nam (mihi verisimiliùs est hunc contractum esse dishonestum, quàm honestum, scio tamen esse licitum; quia id affirmant graves DD.) est idem, ac dicere: Ego quidem nescio utrum hæc opinio sit bona regula operandi, vel potiùs mala; imò probabiliùs judico esse malam, scio tamen esse bonam propter authoritatem DD. gravium id afferentium. **R** argumentum æquivocatione laborare, dum confundit resolutionem quæstionis directæ cum resolutione quæstionis reflexæ: nam utrūque verum esse potest sine contradictione; unde quæstionem directam instituens nescit adhuc, an contractus licitus, vel illicitus sit, donec probabiliter resolvat per assensum prudentem, licet minùs probabilem absolutè esse bonum, & licitum, simul tamen cum formidine oppositi, quare vi hujus nondum scit sibi esse licitum: progreditur igitur ad resolutionem reflexæ quæstionis, & per judicium reflexum comparat sibi scientiam practicam, & certitudinem de honestate, & licentia contractus, vi cuius judicij non amplius afferit se nescire an licitus, an illicitus sit, sed absolutè, & sine formidine oppositi affirmat contractum sibi esse licitum.

Ad paritatem de horologio disparitas est, quia hujus bonitas depen-

dependet à reali conformitate in horis designandis cum motu so-
lis, non autem à probabilitate opinionum: nam etsi plerique
Artifices assererent bonum, non ideo tamen esset recta mensura
temporis; è contrà bonitas regulæ moralis non desumitur ab ho-
nestate actus objectiva reali, & prout est in se, sed ab honestate
formali, & prout est in intentione per judicium prudens per n.
59. quod vel ipsi Adversarii fateri debent: nam si dicam: si ple-
rique Artifices dicant horologium esse bonum, si tamen reipsa
tale non sit, non erit recta mensura temporis; ergo etiam opi-
nio judicata probabilior, si reipsa talis non sit, non erit recta re-
gula operandi, negabunt cons. & bene: quia hujus rectitudo non
desumitur ab objecto prout est in se, sed prout est per prudens
judicium in intentione, & habet prudentem eligibilitatem: quod
idem & nos dicimus: nam etiam in minus probabili habet pru-
dentem eligibilitatem; quia scilicet fundatur in judicio nixo mo-
tivo comparativè gravi.

Obj. 3. Contra prudentiam est relinquere partem illam, quam 75
omnes DD. probant, illam verò sequi, quam aliqui repudiant,
licet alii probent: uti est contra prudentiam eligere ex duobus
poculis, quorum alterum est venenò infectum. Ergo cùm evi-
denter constet ex probabilibus alterutram falsam, & in electione
tutoris, quæ pro lege militat, nullum sit animæ periculum, ut
omnes fateri debent: secus in electione alterius libertati faven-
tis imprudenter eam omnino eligit. ¶ 1^o. hanc objectionem
nimium, adeoque nihil probare, sequitur enim ex ea, quod
nec probabilissimam inter probabiles sit licitum sequi (quod est
contra Decretum Alexandri VIII.) imò nec moraliter certam fa-
ventem libertati, quia utraque potest esse falsa. ¶ 2^o; n. ans.
nam licet omnes dicant licere sequi partem tutiorem, non om-
nes tamen dicunt dari obligationem sequendi, imò maxima pars
negat, ut patet ex probatione secunda, & cum D. Antonio
confi-

consilium, non præceptum agnoscit. Denique pars universaliter id affirmans defacto certò falsa est, ob Decretum Alexandri: Paritas à poculis venenô mixtis, non est ad rem: nam imprudentissimè quis ageret eligendo alterutrum absque urgenti necessitate: quia se exponeret manifesto periculo mortis, cùm in hoc casu major probabilitas non sit fundamentum, quô certificatur sumens poculum de evasione mortis, ut contingit in casu nostro; in quo probabilitas honestatis fundat judicium reflexum certificans operantem de morali honestate operationis.

76 Obj. 4. Qui operatur exponens se probabili periculo peccandi, peccat, sed qui operatur secundùm opinionem minùs probabilem, aut minùs tutam, operatur exponens se probabili periculo peccandi, seu probabiliter faciendi peccatum, ergo. **R.** c. maj. d. min. exponit se periculo peccandi materialiter conc. formaliter n. min. & cons. nam vi judicii reflexi tanquam proximæ regulæ operandi, certus est de honestate formalí operationis; licet non evitetur periculum erroris physici, & peccati materialis, quod non vitat etiam sententia probabilior, imò nec moraliter certa.

77 Obj. 5. non excusat in rebus Fidei sequens minus probabilem præ probabiliori, & tutioni, aliàs Henricus 4. Galliarum Rex non fuisset obligatus assumere Fidem Catholicam, licet Ministri calvinistæ asseruerint esse eam tutam ad salutem, non tamen necessariam: quia præceptum Fidei Catholicæ adhuc non erat illi evidens; sed ad summum probabilius, atque ex sententia probabilistarum quamdiu existentia legis non est certa, & evidens, non est obligatio sequendi tutiona: cùm libertas possideat. Unde cùm vix sit aliquid, quod in disputationem non veniat, in his omnibus possideret libertas contra legem incertam: quod nemo non videt absurdum. **R.** in negotio Fidei ut diximus in tract. de eadem c. quod nefas sit sequi minùs probabilem dum veri-

veritas deprehendi potest (quia tunc error est vincibilis) atque adeo est obligatio indagandi veritatem, usque dum reperiatur securitas in salute. De Henrico Rege dico, illi veritatem Catholicam non tantum ut probabiliorem, sed ut moraliter certam fuisse propositam; adeoque non urget ad reliqua moralia: nam dubio proposito, utrum Calvinismus sufficeret, an vero Catholicismus necessarius esset ad salutem? audivit a Calvini associis esse Catholicismum quidem tutum, sed non necessarium, a Catholicis Calvinismum simpliciter insufficientem, necessarium vero Catholicismum, quibus responsis moralem certitudinem habuit de salute in Catholicismo. Id quod additur de possessione libertatis contra legem incertam nego absurdum esse, si in resolutione questionis reflexae non occurrat ulla circumstantia restringens ad probabiliorem, aut tutiorem, seu legi faventem; quales sunt certa injuria imminens proximo ex usu minus probabilis, vel minus tutae; vel lex aliqua, aut votum, aut conventione tacita, vel expressa, aut periculum gravis mali inauferibilis per usum minus tutae. Quare ubi haec non habentur sine absurdo pro libertate possidente deciditur: quia in moralibus DEUS non obligat ad probabiliora, & tutiora, sed solum ad prudenter, & conformiter ad dictamen rectae rationis operandum, quod tunc fit, quando ex motivo gravi operamur.

Nequis dicas, lex charitatis erga proximum non strictius obligat, quam erga DEUM, sed illa vetat primum opinionis minus probabilis, ergo & haec. ¶ 1. Hoc ipsum soli debere a probabilioristis, nam charitas proximi vetat usum probabilioris praeminius probabili, sed tertiiori; quando agitur de gravi damnoproximi avertendo, citra gravem nostram jacturam.

¶ 2. Discriben esse, quod DEUS ex actionibus nostris aliud desiderare non possit, quam ut formaliter sint honestae; quod obtinemus in rebus incertis sequendo prudens judicium, ut dicetamen

Etiamen rectæ rationis gravi fundamento innixum: nam ut meliora sequamur, consilium est, non præceptum, è contrà charitas proximi aliud, ne scilicet cum damno proximi operemur, dum sine magna molestia à nobis evitabile est.

79 Obj. 6. S. Thom. quodl. 8. art. 13. dicentem: illud quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quòd sit secundum conscientiam &c. dicendum ergo est, quòd quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam: aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem DEI, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Hęc D. Thomas, quæ omnino adversantur nostræ sententiæ, jnō & probabiliori, ac moraliter certæ opinioni. Exponendus ergo est D. Thomas per se ipsum: nam eodem art. in fine dicit: si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, non committit se discrimini, nec peccat; evidens autem est contingere posse, quòd licet non dubitet, faciat tamen contra veram opinionem, consequenter contra legem DEI, & tamen excusat à peccato, scilicet beneficiō opinionis probabilis, quæ licet sit minùs tuta, excludit tamen dubium practicum; intelligendus ergo est D. Thomas de dubio strictè tali, aut de ignorantia vincibili, quæ sine dubio conscientiam non excusat. Hoc modō S. Thomam exponunt veteres & RR. Thomistæ.

SECTIO QUINTA.

De modo formandi ultimum dictamen conscientiæ secundùm sententias minùs probabiles.

80 Modus 1. Ante omnia necesse est, ut cogitans operari secundum

dum sententiam aliquam libertati faventem, certus sit eam verè esse probabilem, ne se periculo exponat formandi conscientiam secundùm opinionem tenuiter, vel dubiè tantùm probabilem. Hinc non sufficit in mente talem versare sententiam, v. g. ut Petrus licetè possit die festo venari recreationis causâ, non satis est scire ab aliquibus doceri, venationem licitam esse die festo; quia si interim se non resolvat practicè, sed manet dubius, vel indiferens inter hæc, quod liceat, non liceat, sicque exerceat venationem, caret omni conscientiâ; cùm non formet sibi judicium certum de honestate actionis, sed solùm habeat notitiam opinionum veluti speculativam, ideoque peccat venando, ita communiter cum Sporer n. 33.

Modus 2. Ultimum dictamen, seu judicium practicum honeste, & licetè operandi debet esse certum, cui si conformetur operatio, evadit certò honesta, & licita, ut constat ex dictis per num. 8. & Sect. 3.

Modus 3. Ultimum dictamen est deducendum ex duabus præmissis certis, & non ex una probabili, altera certa; quia conclusio deducta ex una tantùm probabili; manet etiam tantùm probabilis, cùm debeat sequi debiliorem partem, hinc si nobilis Philosophus plùs amans latratus canum, quam patiens sonum campanæ ad Ecclesiam invitantis, sic philosophetur: *Actio non servilis est licita die festo, sed venari est actio non servilis, ergo venari est licitum die festo.* caret ultimo dictamine conscientiæ: quia cùm minor, cui innititur, conclusio sit incerta, pariter etiam conclusio ex ea deducta manet incerta.

Modus 4. una ex præmissis, ex quibus deducitur ultimum dictamen conscientiæ, debet habere pro objecto opinionem probabilem, secundùm quam aliquis vult operari; non tamen est necesse, ut affirmet veritatem realem illius opinionis probabilis, ut diximus num. 59. & seq. sic enim & ipsa esset solùm probabilis;

lis; sed tantum debet affirmare illius existentiam saltem objectivam, & apparentem, hoc est dicere debet, non quod illa vera sit realiter, sed quod sit probabilis, & apparens, seu existat, aut saltem existere possit in intellectu alicujus viri prudentis, & periti, v. g. præmissa, ex qua deducitur judicium ultimum, quo dirigitur venator die festo, non debet dicere hanc propositionem, *Venari recreationis causâ die festo non est servile esse veram*, sed tantum dicere debet illam esse probabilem, ita ut meritò illi assentiri possit vir prudens, & peritus, quod omnino certum est, vide num. 60. Et quia hoc judicium ultimum ita reflextit supra opinionem probabilem; ideo dicitur reflexum, & hoc modò formatur: id, quod prudenter judico mihi hic, & nunc licere, certum est mihi hic, & nunc licere, sed prudenter judico mihi hic, & nunc recreationis causâ (addo si fiat absq; magno apparatus, & à prandiis) die festo licere venari ergo. Major est certa, quia actus prudentiae non potest esse regula actus illiciti. Minor etiam est certa: quia quod judico ex motivo gravi, hoc prudenter judico; ideo enim dicitur grave: quia dignum est prudenti assensu, sed hoc judico ex gravi motivo, cum sit probabile, ergo. Minor hæc patet: quia hoc prudenter judico, quod judicant viri gravissimi, probi, & periti, qui semper utuntur gravi motivo, sed viri gravissimi, probi, & periti judicant mihi hic, & nunc, modò dicto, & restricto venari die festo licere, ergo.

Nota tamen præstare Vesperis, ac Divinis Laudibus interesse, quam per prata die festo contemplari, & numerare frigida ferarum vestigia.

84 Observa tandem, quando operatur quis secundum opinionem probabilem, non est opus, ut dialectice sibi formet hujusmodi discursus, sed hoc ipsò quod sciat se operari juxta opinionem probabilem, virtualiter sibi formabit hoc judicium, practicè judicando sibi hic, & nunc licere talem operationem.

QUÆSTIO TERTIA.

An Conscientia probabilis sit sufficiens regula actionum humana- rum cuvis Viatori, in quovis statu?

REx, Dux &c. optimus Viatoris est conscientia; rectores, duces itinerum non adeo necessariorum, aut utilium fideliter sequitur, fidelius in itinere vita, à quo salus æterna pendet conscientiam, velut à DEO datum rectorem, dum sequi convenit. Hinc oriuntur aliquæ quæstiunculæ, de quibus sit.

SECTIO PRIMA.

De Regibus, Ducibus, & Superioribus Provincialibus?

Quæres 1. An Reges &c. rectè agant, si nudè sequantur, & 58 exequantur judicia, & consilia probabilia suorum Consiliariorum, & subofficialium? R. negativè: Ratio 1ma petenda est ab experientia facti, & damni. Ratio 2da est; quia Consiliariorum aliqui sunt boni, aliqui mali, aliqui sunt consulentes bono publico, alii studentes proprio marsupio, ergo ad Regem, superiorem &c. spectat videre, ne per malos in errorem bono publico, & privato damnosum inducatur; ergo ipsius est auditis opinionibus indifferenter rationes perpendere, & si has judicat veras, has sequi, si falsas, reprobare; si discernere non valeat, ulterius inquirere, ad hoc enim est navarchus, ut clavum teneat, regatque navem. Ita Eliz. apud la Croix lib. 1. de cons.

q. 55. n. 455. Confir: quia quandóq; ex Consiliariis sunt pseudo-politici, adulatores, non timentes DEUM, modo placeant hominibus, unde non edicunt sincerè, quod sentiunt, sed quod putant placere: alii non habent pro fine bonum publicum, sed privatum suum, vel suorum. Denique alii omnia pecuniis venalia habent. ergo Reges Consiliariorum superiores, subofficialium suorum rectè agendo non possunt judicia, & consilia probabilitia sequi.

86 Ubi tamen adverte: Reges &c. teneri suorum Consiliariorum rationes audire, auditas utrínque perpendere, & quas certè advertunt veras sequi; si verò res incerta sit, *per se loquendo*, possunt sequi consilium probabile suorum, relictō cō, quod ipsi judicant probabilius, formando sibi iudicium certum juxta dicta per n. 83.

87 Quæres 2. An Rex, vel Princeps in gerendo bello possit absque culpa lethali sequi opinionem minùs probabilem, relicita probabiliori? Ante R.

Nota: Bellum describi, quòd sit conflictus armorum, auctoritate Regis, aut Principis superiorem non recognoscens, indictus. Differt autem à seditione, & rixa, quòd bellum sit multitudinis contra extraneos; *Seditio* multitudinis contra multitudinem ejusdem communitatis; *rixa* verò paucorum, vel singulorum, contra paucos, vel singulos. Bellum taliter scriptum si debitis non careat conditionibus, ex natura sua licitum est, sive sit merè defensivum, utpote quia jure naturæ licitum est, vim vi repellere: sive offensivum, quo sumitur publica vindicta de gravibus injurijis, si aliunde congrua satisfactio obtineri nequeat. jam

R. ad quæstionem negativè. Ratio est, quia Rex, aut Princeps in gerendo bello, exequitur sententiam de sibi restituendo, vel aquirendo regno, quam ipse tanquam Judex pro se decidit; sed

sed Judex non potest sequi opinionem minùs probabilem per dicenda n. 90. ergo nec Rex aut Princeps.

Nec dicas: Rex, aut Princeps gerens bellum cum alio Rege , 88 vel Principe, non est Judex, ergo ex eo, quòd Judex sequi te-neatur opinionem probabiliorem præ minùs probabili, non infertur etiam Regem ad id teneri. Nam nego cons. & ratio est: quia Rex, vel Princeps vult se gerere ut Judex, & vendicat sibi superioritatem respectu alterius Regis; & ideo tenetur se gerere ut judex, ex propria voluntate.

Quæres 3. An iuxta probabilitatem diversarum opinionum 89 bellum possit esse ex utrāque parte justum? R. Bellum *materi-aliter*, & *re ipsa* consideratum, non posse esse utrinque justum: quia uni tantum potest à parte rei jus competere; potest tamen utrinque *formaliter*, & *per accidens* justum; nam potest adesse ignorantia invincibilis, & opinio pro justitia utriusque partis adversæ. Ita Mastrius *disp. 10. Theol. mor. n. 109.* Nulli tamen est licitum indicere bellum, priùsq[ue]am jus suum, & adversæ partis fecerit à viris doctis sufficienter examinari: quia bellum, quod est causa tantorum malorum, debet esse postremum medium. Mendo *disp. 13. q. 15.*

Quæres 4. *occasionaliter*: An subdit[i] in dubio de justitia bel- 90 li, Regi, aut Principi ad bellum vocanti parere, & pro eo militare possint? R. cùm Layman *l. 2. tract. 3. cap. 12. n. 8.* & aliis, affirmativè. Ratio est: quia in dubio unusquisque tenetur obediens suo superiori. Sufficit proinde ut subditis (idem dicendum de militibus conduēticiis, de bello justo dubitantibus) manifestè non constet de injustitia belli.

Cæterū nota milites extraneos, atque voluntarios, ad bel- 91 lum vocatos, causam justitiæ examinare, investigare que teneri; et si de justitia belli dubitent, eos militare non posse: quia nul-

la cogente, aut excusante obediendi necessitate exponunt se pericolo gravissimæ injuriæ inferendæ.

SECTIO SECUNDA.

De Consiliariis.

92 **Q**uia Conscientia viatoris recta, est *Consiliarius ejus optimus*, quem si sequitur, peccare non poterit. De hoc dictum crede: *sit tibi Consiliarius unus de mille*, non unus cumulus aureus, sed unica conscientia aurea. Et iterum: *Fili sine consilio (hujus consiliarii) nil facias, & post factum non paenitebis*; hoc est absque prævio judicio rectæ conscientiæ nihil sva-deas; & cum Aman non pendebis in patibulo. Unde

Quæres 1. An Consiliarii Regum, & aliorum superiorum in consiliis dandis teneantur sequi sententias probabiliores circa inductionem belli, vel impositionem tributorum? R. cum Reverendissimo P. Crescent. Krisper tract. VI. de act. hum. dist. 8. n. 19. Sanch. Mendo. Moya tract. I. q. 7. n. 11. affirmativè, & est communis.

Ratio est 1. quia Consiliarii in his censentur esse constituti à populo velut judices; sed hi probabiliora tenentur sequi per dicta, ergo. Unde Consiliarii graviter contra justitiam peccant, si ex affectu, vel respectu humano juxta sententiam minùs probabilem consulant in favorem unius, cùm sic magna incommoda possint oriri.

Ratio est 2. quia subditi sunt in certa possessione suarum rerum, ergo ob bella, vel tributa privandi non sunt ex ratione probabili Consiliariorum, si pro possessione subditorum sit probabilior.

Ratio est 3. quia communiter admittunt saltem in quæstiōibus facti procedendum esse secundūm opiniones probabiliores; sed

sed quæstiones circa bellum, & tributa ordinariè sunt facti, v.g. an facta sit gravis injuria, data causa sufficiens &c. an tributa sufficient ordinaria &c. ergo.

Dices: Confessarius quamvis sit Judex, non tamen tenetur 93 sequi semper opiniones probabiliores, consulendo in foro spirituali; ergo idem dicendum de Consiliariis in foro Civili, & temporali.

R. transeat A. dico transeat, quia etiam Confessarius in foro spirituali regulariter, & absolutè loquendo tenetur sequi sententias probabiliores. Et n. cons. disparitas est: quia confessarius non est in tanto rigore judex, sicut Consiliarius; cùm tanta incommoda in Republica spirituali non videantur oriri; nam ejus bonitas plerūmque pendet à prudenti existimatione, & non datur tam facile acceptatio personarum propter interesse spirituale, quàm in Republica temporali, cuius felicitas dependet ab incommodis, & damnis à parte rei, & rigorosè, ac efficaciter exclusis; cùm consistat in concordia, & pace hominum; & ideo in hac facilius intervenire potest acceptatio personarum, cùm facile ex affectu erga unam partem obnubilante intellectum consuleret opinionem probabilem ex parte amici, licet revera talis non sit.

Quæres occasionaliter 2. An Consiliarii, & consultores pos- 94 fint acceptare munera, ut in favorem dantis minus idonei ad hoc, vel illud officium publicum consulant, neglectâ personâ magis idoneâ, & emeritâ? R. negative, seu illicitum est acceptari à Consiliariis munera in ea quantitate, quæ de se apta est, & ut plurimum inducit corruptionem judicij.

Ratio est 1. quia si Consiliariis id liceret, præter injuriam personis magis idoneis, & promeritis factam, præjudicaret bono communi, cùm quisque sibi facile, & falsò persyadeat se esse incorruptibilem, quod gravissimè noceret publico bono.

Ratio est 2. ex jure positivo in conscientia obligante, & prohibente, ne dentur, vel à Consiliariis acceptentur munera, sic Exod. 23. v. 8. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba iustorum.

Idem dicitur Deut. 16. v. 19. Néque suscipias munus, quia munus excæcat oculos sapientum, & pervertit verba iustorum. Et Eccles. 20. Xenia, & dona excæcant oculos sapientum.

95 Nec dicas: Textus citati intelliguntur solum de corrumpendis per manuscula; non autem de me Anonymo qui mihi omnino persvadeo me non ideo corrumpendum, ac firmissimè propono non recessurum à recto conscientiæ judicio.

Domine Anonyme noli tibi fidere: Nam æterna dicit veritas; quæ nec falli, nec fallere potest: *Dona excæcant oculos sapientum, & pervertunt verba iustorum*, noli tibi persvadere te inflexibilem à recto dictamine: mirum enim est, quid non possint occulta sua vi largitiones; nam saltem ex motivo gratitudinis, reddunt animum tuum propensum danti, movent ad referendam gratiam; & voluntas in dantem propensa facit, ut intellectus magis se applicet, ac attendat ad rationes hujus partis, sicque paulatim totus animus ad hanc partem deflectit, & veluti invitus, aut non advertens trahitur ad partiale judicium: quod maximè verum est in illis Consiliariis, & Consultoribus, qui non agnoscunt hoc occultum periculum perversionis. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*: inquit Isaias cap. 1. v. 23. quod ita exponit Innocentius III. de contemptu mundi lib. 2. cap. 3. Non ipsi precedunt retributiones: quia non consulunt amore iustitiae, sed retributiones praecedunt ipsos: quia iudicant, & consulunt amore pecuniae, semper enim sequuntur largitionem, vel promissionem, vel spem. Et cap. 4. ait: *Væ vobis, qui corrupti prece, vel pretio non attenditis --- vitam, sed munera, non conscientiam, sed pecuniam; non quid ratio dicit, sed quod voluntas*

*luntas affectet -- non ut quod licet, hoc libeat, sed ut licet
hoc quod libet.*

Quæres 3. An ad restitutionem obligentur Consiliarii illi, qui 96
perverso, & iniquo affectu digniores, vel verè dignos impedi-
unt quovis modo, à consecutione beneficii, vel officii, curánt-
que conferri patenter indignis? Rdet affirmativè cum communī
Sporer tr. 4. cap. 2. sect. 5. de test. Ubi sic habet: *Taliter impe-
dientes ad restitutionem obligari, non quidem illis indignis, vel
dignioribus impeditis: cùm illi nullum adhuc jus in illa bona ha-
buerint; sed Ecclesiæ, vel Reipublicæ pro damnis consecutis:
quia huic solū, non autem illis damnum injustum illatum est.*

Quo casu, tenetur restituere Reipublicæ, vel Ecclesiæ, 1^{mo}.
ipse indignus habens officium, vel beneficium. 2^{do} Collator.
3^{to}. Tu, qui svasor, vel promotor fuisti. Quòd si nullum da-
mnum fecutum est Reipublicæ, vel Ecclesiæ, huic adhuc faci-
enda est restitutio fructuum perceptorum ab indigno: quia illud,
quod est propria sustentatio Ministri idonei, contra voluntatem
Reipublicæ, vel Ecclesiæ, adeoque injustè datur indigno.

Quòd si sine vi, vel fraude procurâsti, ut relictō digniore,
conferretur minùs, tamen verè digno; aut relictō unō dignō,
alteri æquè digno, jam ad nihil obligaris. Non illi digniori,
vel etiam digno relicto: Hi enim non habent jus justitiæ, supra
verè, vel æquè dignos. Non Ecclesiæ, vel Provinciæ: quia &
his non est facta injuria, dum æquè dignum acceperunt, ergo.

Pariter si aliquem dignum, quomodo cùnque etiam vi, vel
fraude impediās, ut beneficium, vel officium conferatur mani-
festè digniori, ad nihil teneberis: quia sit dignus licet, non
tamen habet ullum jus respectu dignioris: quare illum impedi-
endo, & hunc promovendo rectè agis.

Quæres 4. An impediens alium à consecutione alterius boni 97
non debiti ex justitia, sed ex libera, & determinata jam volun-
tate

tate alterius conferendi, aut per vim, vel metum cogendo, vel collatorem ad non conferendum, vel alterum ad non acceptandum: aut per dolum, fraudem, mendaciis, detractionibus, cŕiminationibus falsis &c. teneatur ad compensandum damnum? Respondet cum communi affirmativè Medina, Valentia, Navar. Tolet. Lessius, Laym. Lugo. Ratio est, quia talis impediens infert alteri damnum per veram injuriam. Nam licet Catus v. g. nondum habeat jus ullum ad illud bonum, donum &c. ab altero gratuita voluntate conferendum, habet tamen verum jus ab alio illud petendi, sperandi, & obtinendi, atque ne in hoc ipso aliis iustis, vi, dolô, mendaciô, aliave actione iusta impedit: ergo talibus modis impediens peccat contra iustitiam ladden- do jus alterius; ideoque obligabitur ad compensandum damnum non quidem totum: quia nullum adhuc jus habuit, sed partem, secundum proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illius boni consequendi.

- 98 Dicta hæc de Consiliariis, & Consultoribus ceteris paribus, valent etiam de supremo Comite Comitatūs, de supremo Ju- dice Regio sedis, & aliis superioribus respectivè, videlicet ne subofficiales indignos dignioribus præficiant intuitu munerum in publicis servitiis: secus dum pecunaria munera captant, animam captivant, ait citatus Innocentius III. Interim
- 99 Noto leviora munuscula ex urbanitate oblata, in quibus cor- ruptionis periculum abest, nec nisi inurbanè recusari possunt, licet acceptari possunt: quia in his cessat ratio prohibitionis. Lugo, n. 131. Haun. n. 62.

SECTIO TERTIA. De Judice.

Consciencia viatoris est etiam *Judex*, qui teste Chrysostomo statim

statim tribunal ascendit post factum, accusatoris, & judicis munere fungitur: absolvit, aut damnat. Hinc

Quæres 1. An judex damnare possit probabiliter tantum non centem? **R.** negativè. Ratio est 1^{mo} quia si quis accusatus est, & non sufficienter convictus, non potest affici pœnâ ordinariâ. **L**essius, Sanchez, Lugo. *de just. diff.* 37.

Ratio 2^{do}. est, nam qui probabiliter tantum probatus est reus, de nullo criminе convictus est, ergo cum judex damnare non potest. **C**ons. patet: quia leges de nullo criminе convictum presumunt innocentem; cùm pro ejus innocentia sit certa possessio quam non elidit probabilitas in oppositum. ergo.

Quæres 2. An judex in ferenda sententia inter partes litigantes, teneatur sequi sententiam, quæ inspectis allegationibus, & probationibus probabiliор est?

R affirmativè. Ratio est 1. quia judex tenetur tanquam persona publica dicere unicuique jus suum pro æquitate, hinc Exod. 23. v. 3. dicitur judici: *Pauperis non misereberis in judicio.*

Ratio 2. est, quia officium judicis à Republica instituti, & pactum cum ea tacito contractum exigit, ut sententiam ferat secundum merita causæ ad rectam rationem, sed recta ratio, seu conscientia dictat, quòd ea pars litigantium, quæ suam causam in judicio probabiliorem ostendit per allegationes, & probations, magis mereatur sententiam pro, quam contra se, ergo judex in ferenda sententia tenetur sequi sententiam probabiliorem: aliás patet et semper janua acceptationi personarum: posset enim prout veller, favere amicis, vel dantibus munera.

Quæres 3. In casu quo judex credit suam sententiam à suo superiore reformandam, ad quem appellari potest, an teneatur sententiare secundum opinionem probabiliorem? **R** Affirmativè. Ratio est: quia judex in omni casu debet satisfacere suo officio; unde quamvis prævideat se superiorem aliter judicatum,

rum, non ideo licitum est ipsi procedere contra conscientiam suam, sed permittere debet, ut alius etiam sequatur suam.

103 Quæres 4. In casu quo judex superior mandat inferiori, ut sententiam ferat secundum opinionem, quam inferior judicat minus probabilem, superior autem probabiliorem; si inferior sit certum, quod sua sit probabilior, an possit, & teneatur obediare suo superiori? & negativè. Ratio est 1^{mo}, quia superior in tali casu posset præsumi corruptus per oblationem, & acceptationem munerum. Ratio est 2^{do}. quia in simili casu mandatum superioris est de re, quæ sine peccato fieri non potest: si autem inferiori esset incertum, an sua, an superioris opinio sit probabilior, tenetur ferre sententiam secundum opinionem superioris: quia est præsumptio pro superiore, & ubi non cernitur manifestè peccatum, tenetur subditus parere superiori, sive sit in materia dubia, sive in probabili.

104 Quæres 5. An judex teneatur sequi opinionem probabiliorem, etiam in sententiis interlocutoriis, videlicet circa præparatoria litis, examen testium, citationem, confessionem Rei, confessionem termini &c. & affirmativè cum Cardena n. 62. Ratio est 1^{mo}, quia damnatio non distingvit inter sententiam interlocutoriam, & definitivam, 2^{do} hoc esset graviter dāmnosum alteri parti: quia sententiæ interlocutoriæ communiter parant viam ad definitivam; ergo si non licet in hac, nec licebit in his sequi opinionem minus probabilem.

105 Quæres 6. An judex inferior licet possit sententiam ferre in eum, quem privatâ notitiâ certò scit esse innocentem, qui tamen in judicio externo secundum allegata, & probata probabiliter nocens, & reus mortis probatur? & negativè: Ratio est 1^{mo}, & solidissima: quia non licet hominem innocentem occidere per se directè; sed secundum adversam opinionem verissimè occideretur innocens per se directè, & non indirectè tantum, ut Adversa-

versarii volunt, cùm ipsa actione externa directè tendatur in mortem hominis innocentis, & non in aliquid aliud ergo.

Ratio est 2dò: quia innocentem interficere est intrinsecè malum, & violare jus Divinum; quod solus DEUS habet in vitam, ergo non potest unquam coherestari, nisi accedat authoritas DEI suo juri cendentis, & concedentis facultatem; sed hanc DEUS non concedit, imò prohibet Exod. 23. *Innocentem & justum non occides*, & quidem nec in publico iudicio probatum reum: nam subjungitur: *Non suscipes vocem mendacii, nec sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum aquiesces sententiæ, ut à vero devies, quæ verba intelliguntur in ordine ad iudicium publicum de innocentie ferendum.*

Quæres incidentaliter 7. An Princeps, vel superiores statu- 106 um præter ordinarias, possint imponere suis subditis alias extra-ordinarias exactiones? Ante responcionem nota: exactiones ordinarias dici, quæ singulis annis penduntur; extraordinariae ve- rò sunt, quæ ex causa occurrente pendi, & exigi solent. Ad quæstionem respondent negativè nonnulli apud Lipsium lib. 2. de admirand. cap. 3. Item Cajetan. V. v. et gal. Sot. lib. de justitia. q. 6. Ratio horum est: quia æquitatis, & justitiæ ratio exigit, ut publicis oneribus magis graventur divites, quam pauperes, at qui in impositione exactiorum extraordiniarum sit contrarium; nam ejusmodi impositione magis gravantur pauperes, maximè numerosam prolem alentes, ergo &c.

Ad eandem quæstionem q. 2dò affirmativè, si exactiones tales fiant publica authoritate, & justa aliqua causa exigente. Ita Sylv. v. Gabella. 3. n. 14. & seqq. Navar. Man. cap. 17. Medina de Restit. q. 15. in poster. quæst. part.

Et teste Wiestner hic n. 67. torrens DD. quod confirmatur ex multarum Provinciarum, justitiæ laude florentium praxi, & ratione: quia hujusmodi exactione non magis gravatur Respubli- ca,

ca, quām si justa aliqua summa ab ejus subditis exigatur pro ratione facultatum, quas habent singuli; atqui huiusmodi exactio summæ, justa causa exigente, sinè justitiæ, & æquitatis læsione fieri potest; ergo eadem causa exigente &c. Ubi modum in hujusmodi exactionibus observandum adverte ex D. Thoma. 2. 2. q. 63. art. 4. Medina cap. de Restit. q. 13. §. tertiam. Molin. tr. 2. d. 668. n. 1. primō, ut subditi ultra vires, & facultates suas non graventur: quia has excedens exactio subditis moraliter est impossibilis, consequenter ad eam non dabitur obligatio. Reg. 185. ff. & Reg. nemo. 6. in 6. Secundō, ut in illis servetur æqualitas proportionis geometricæ inter personas, habitâ ratione facultatum, & plūs à divitibus, quām à pauperibus exigatur: quia in distributionibus munerum, & in impositionibus onerum publicorum observanda justitia distributiva petit, ut æqualitas secundum proportionem geometricam observetur. Arist. 5. Eth. cap. 3. & 4. Tertio, ut casu, quō exactio non communne totius Reipublicæ, sed peculiare alicujus duntaxat partis v. g. Mercatorum bonum spectat; exactio his, præ aliis communinitatis membris imponatur: quia æquitas naturalis exigit, ut qui alicujus rei, vel actionis solus percipit commoda, & emolumenta, solus sufferat onera, & incommoda ei annexa, juxta Reg. qui sentit. 55. in 6. ergo. Occasione hujus quæstionis.

307 Quares 8. An superiores statuum, penes salaryum ordinarium, & deputatum, possint aliquando citra culpam exigere, & acceptare discretionem oblatam à suis subditis? & affirmativè, supposito, si adsit justa causa exigendi. Causa autem justa potest esse multiplex: 1. Sustentatio tam superiori, quām Aulæ propriæ congrua, honesta, & competens. Ratio est, quia superioris est prosperitatem temporalem totis viribus procurare, ita vicissim subditus tenetur sumptus necessarios ad hæc præbere. Secunda causa esse potest: necessitas publica, cui aliter commode succur-

succurri nequit; ut si necessarium sit ad reparaciones Aulæ, Curia &c. *Tertia*, longum iter suscepsum ob bonum publicum valde expediens. *Quarta*, patratio alicujus actus peculiaris extraordinarii, à Provincia, vel Comitatu malum removentis, aut impedientis. *Quinta*, compensatio sumptuum, & damnorum acceptorum ob bonum Provinciæ, aut Comitatū, vel sedis. In quibus casibus à superiore potest subditus, si opus sit ad discretizandum cogi; ut tamen licet procedat, observandæ ei sunt sequentes conditiones.

Prima, ut constet causam esse justam, vel si de ea diversæ sint opiniones, ut habeat probabiles rationes, ob quas quis possit prudenter statuere, se hic, & nunc posse ob talem causam discretionem exigere; si tales rationes non habeat, vel certè non consideret, sitne justum, quod agit, an non? sed ex eo modō progradientur, non potest exigere: quia nescit an jus exigendi habeat. Unde exigendo injuriam subditis irrogat, & ad restitutio nem tenetur, nisi postea constet causam justam fuisse: quia nulla fide exigitum, & acquisitum est restituendum. *Secunda*, ut causa sit discretioni proportionata, seu, ut exigentia discretionis non sit major, quam causa, & necessitas postulet: qua parte enim excedit, est injusta. *Tertia*, ne insumatur in usus alienos, ut in prodigas largitiones, & alias expensas inutiles &c. ad quas in subdito nulla est ratio discretizandi, immo nec contribuere tenetur teste Cajetano. *V. vectigalia. & Petro Navarro. lib. 3. c. I. n. 255.*

Nota 1. si dubium sit, an discretio iusta ex causa, aut iustitia exigatur, aliis affirmantibus, aliis negantibus; subofficialis exactor, qui obedientiâ compulsus exigit, & percipit ab inferioribus discretionem suo superiori, non peccat, nec tenetur restituere; quia obedientia in dubio excusat, ut supra diximus. Sicuti subditus, qui compellitur ire ad bellum, quod non constat ei

esse injustum, excusatur, etiamsi postea injustum deprehendatur. Ratio est, quia in dubio melior est conditio superioris, qui jus exigendi, & imperandi possidet: meritò enim inferior in dubio judicium suum superiori debet submittere, & obsequium non subtrahere. Secùs esset, si sciret superiorem suum dubitare, & dubitantem imperare; quia sciret tunc illum non habere jus exigendi discretionem. Hinc

108

Quæres 9. An subofficialis v. g. Vice-Comes, Judex &c. licetè possit discretizare, quando in superiore nullam advertit causam, & exigentiam discretizandi? & affirmativè; ita tamen, si discretizatio fiat ex propriis bonis discretizantibus. Patet hoc primò ex illo 3. Reg. c. 10. v. 25. singali deferebant ei (id est Regi Salomoni) munera, vasa argentea, & aurea, vestes, & arma bellica, aromata quoque, equos, & mulos per singulos annos.

Patet secundò ratione: quia quivis subofficialis habet dominium suorum bonorum, & eorum administrationem cum facultate alienandi; ergo potest, & laudatè facit, si discretizat ad sui superioris dignitatem ampliandam, & tuendam, aut ad ejusdem impendia, sive communia sive privata sustinenda.

Dixi: si discretizatio fiat ex propriis bonis discretizantibus: nam subofficialis, si exigat à pauperibus se inferioribus materiam discretizandi, tenetur ad restitutionem; quia committit rapinam absque justa causa extorquens alienum, cuius non est Dominus, nec administrator.

SECTIO QUARTA. De Advocato.

Cùm conscientia juxta illud S. Joannis: cap. 3. Charissimi si cor nostrum non reprobenderit nos, fiduciam habeamus ad DEUM, & quidquid petierimus, accipiemus; Advocatus sit Viatoris optimus, Quæri-

Quæritur An Advocatus possit patrocinari causæ minùs probabili? Ante responcionem cum communi suppono, quòd in quo-vis Advocato quatuor præcipue requirantur qualitates. 1^{mo} scientia conveniens conjuncta scientiæ secum. 2^{do} justitia cau-sæ. 3^{ti} fidelitas. 4^{to} pretium justum.

& affirmativè. Tenent Navar. Azor. Laym. Mendo d. 4. à n. 219. Ratio est 1^{mo}, quia Advocatus tantùm proponit argumen-ta partis, & cætera relinquit judici, qui fortè prudentius ex a-liis etiam motivis censebit hanc partem esse probabiliorem.

Ratio est 2^{do} quia quando causa dubia, vel controversa est, cuivis permittitur tueri seipsum, quamdiu potest, licet sua causa sit minùs probabilis, consequenter permittitur ei etiam litem contestari cum adversario, & propositis rationibus, judicis diri-mentis sententiam postulare, sed per regulam juris in 6. potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, ergo Advocato licebit defendere sententiam minùs probabilem. Ubi tamen.

Notant Doctores cum Bon. de pec. d. 2. q. 4. p. 9. Advocatum causam dubiam suspicentem teneri, 1^{mo} ut ante omnia diligenter inspiciat causæ sibi propositæ probabilitatem, & æquitatem, & si injustam comperiat, nullò modò potest ejus patrocinium su-scipere. Ratio est: quia alioquin cooperando ad malum pec-caret.

2^{do}: Post diligentem totius causæ considerationem, sincerè aperiat clienti probabilitatem, & spem obtainendæ victoriæ: nam si falsa opinione, aut spe inani victoriæ clientem detineat, ac sumptibus frustrè faciendis involvat, ad compensationem damni obligatus manet.

3^{ti} ut Advocatus causæ dubiæ patrocinaturus, paratus sit sta-tim desistere, seu causam deserere, & suo clienti significare, si in progressu litis ejus iniquitatem manifestè deprehenderit: non tamen, ut notat Doctor Angelicus 2.2. q. 17. art. 3. debeat eam

prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ parti adversæ revelet.

Dices 1. contra responsonem judex tenetur ex officio ferre sententiam pro parte probabiliori; ergo & Advocatus poterit solùm defendere causam magis probabilem, alioquin enim defendendo causam minùs probabilem induceret judicem ad aliquid iniquum, nempe ad ferendam sententiam, quam is licite ferre non posset. R. negando consequentiam, & paritatem: quia judicis officium est definire, ac jus dicere inter partes litigantes; sìcque causâ rite priùs discussâ, tenetur ex officio pro parte probabiliori stare, sententiámque ferre. Secùs dicendum de advocate, cuius officium non est definire, atque jus inter partes dicere; sed tantùm parti uni assistere, atque (sub positis jam cautelis) patrocinium ferre, donec lis per diffinitivam judicis sententiam fuerit decisa. Néque idcirco Advocatus censetur inducere Judicem ad aliquod iniquum: nam solùm conatur ostendere, partem sui clientis (prout nonnunquam in progressu litis apparet) esse veriorem, seu probabiliorem; non autem vult, ut stante minori probabilitate talis causæ, pro ea feratur sententia diffinitiva.

Dices. 2. Cujus causa existit minùs probabilis, non potest alteri bellum inferre; ergo neque litem judicialem ipsi movere, & consequenter neque Advocatus causæ patrocinari. R. negando consequentiam, & paritatem. Siquidem per litem judicialiter motam fit solùm inquisitio veritatis, utri parti revera plus juris competat: simùlque hujus decisio committitur Judici, cuius est, utrjúsque partis fundamenta penitus expendere, ac postea litem sententiâ diffinitivâ decidere. E contrâ illatio belli, est ipsamet sententiæ executio, unde supponit sententiam esse latam, vel saltem debere ferri in favorem ejus, qui bellum infert: cuius autem jus est minùs probabile, non debet sententia pro il-

pro illo, sed potius contra illum fieri, ac proinde is alteri bellum licetè inferre non potest.

SECTIO QUINTA. De Medico Spirituali & corporali.

Conscientia Viatoris, est ejusdem *Medicus* non modò *Spiritualis* sed etiam *corporalis*; hic vulnera externa, ille interna curat: conscientia bona & recta utrumque præstat. Nam teste S. Bern. *serm. 10. ad FF.* conscientia vermem interiorem excludit, à carcere doloris liberat rationem, ab omni immunditia purgat mentem, munditiam propriæ medelâ. Cùm corpus moritur, cùm anima coram DEO præsentabitur, cùm utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi Judicis inter vitam, & mortem decernentis statuetur, tam animæ, quam corporis saluti conscientia præscribit, & medetur. hinc.

Quæritur 1. De Medico Spirituali, seu Ministro: An extra necessitatibus casum in administrandis sacramentis teneatur sequi sententiam probabilem, & tutiorem? R. affirmativè. Et deducitur ex Scoto in 4. *diss. 3. q. 2. n. 10.* Ubi circa materiam & formam sacramentorum tres regulas aureas præscribit: Prima est: *si possibilitas adest, via tutissima est eligenda.* Secunda: *si possibilitas viæ tutissimæ non adest, proxima est tenenda.* Tertia: *cessante impossibilitate cautè supplendum est, quod impossibilitas prohibebat.* Hæc Doctor subtilis cit. Exemplum accipe de singulis Sacramentis in Baptismo, de quo certa, & tutissima sententia est, ad ejus valorem requiri materiam, scilicet aquam naturalem, & formam hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Dixi extra necessitatibus casum. Nam qui habitâ aquâ naturali, & cognitâ debitâ formâ conferret Baptismi sacramentum in aqua rosacea, vel cum alia forma, peccaret mortaliter, & multipliciter.

Et quidem *1mo* contra ordinationem Ecclesiae in sacra Scriptura fundatam, in re tam gravi procul dubio obligantem, contra quam nulla opinio potest esse practicè probabilis.

2dō, Contra charitatem, videlicet absque necessitate proximum exponendo tanto periculo salutis spiritualis.

3tiō, Contra iustitiam, maximè si sit Minister ex officio obligatus suis administrare sacramenta; qui vi pacti officio suo annexi obligatur suis succurrere.

4tō. contra virtutem Religionis, ubi docent cum aliis Suarez 3. p. Tom. 3. dist. 21. sect. 4. Laym. Bardi discep. 4. c. 31. Ratio est, quia aperte virtuti Religionis repugnat absque ulla causa necessitatis, vel utilitatis Sacramentum à Christo Domino ordinatum ad salutem animarum, exponere periculo nullitatis, & sine effectu administrare, sed hoc fieret in proposito ut patet ergo.

In casu autem *extremae necessitatis*, potest, & debet Minister, vel ex charitate, vel ex iustitia (si jus habeat suscipiens, ut sibi ab illo Sacramentum administretur) uti materiam & formam non tantum probabili, sed etiam dubiâ, si alia non suppetat. Sic in casu *extremae necessitatis*, si aliquid non occurrat, nisi lixivium, cerevisia, ad baptizandum formando conscientiam ita licere, potes, & debes ea adhibere baptizando infantem potius in materia incerta, cum periculo nullitatis Sacramenti, quam infantem sine baptismō relinquere certae damnationi. Similiter si nullus occurrat, qui formam sciat, nisi vetula balbutiens, potest, & debet, quam potest formam proferre: nec talis Baptismus, nisi sub conditione repetendus est. Hac ratione dijudicandum est, qualiter moribundus praesente Parocho, contra certam sententiam, possit confiteri simplici Sacerdoti, si nimisrum aliquid obstat ex parte Parochi, ut videatur imprudens, indoctus, vel alia de causa ei confiteri horreat poenitens. Ita Sporer tr. 1. c. 1. sect. 3. de conc. probabili.

Ratio est, quia cùm Sacra menta propter hominum salutem sint instituta, melius est, ut periculo nullitatis exponantur, quām ut homo illis absolute privetur; prodesse siquidem poterunt, nocere non poterunt; irreverentia autem, quæ alias subesse possit, abstergitur tam ratione necessitatis, tam ratione intentio-
nis conditionatæ, quam in tali casu Minister præmittere debet.
His præmissis.

Ratio respensionis est: ex condemnatione propositionis ab Inno-
centio XI. sequentis: *Non est illicitum in Sacramentis confe-
rendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, reli-
tutio, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis da-
nni incurandi. ubi ulterius.*

Adverte: licet sub numero 111. recensitas tres aureas regulas Doctor subtilis ex professo tradiderit observandas circa Sacra-
mentorum materiam, & formam ab eorum Ministro, seu spiri-
tuali Medico animæ: oportet nihilominus easdem servata pro-
portione, etiam observari à corporali, seu verè Medico in cu-
randis ægris hominibus. Unde.

Quæres 2. An corporalis, seu verè Medicus, vel Chirurgus ¹¹² in applicandis medicinis teneantur sub gravi peccato sequi probabiliora, & tutiora? & cum communi affirmativè. Ratio est, quia præter obligationem generalem charitatis, quā tenemur ef-
ficaciōri modo, quō possumus, auxilium ferre proximo graviter indigenti; est obligatio justitiæ; cùm æger, vel lœsus se com-
mittat curandum Medico, vel Chirurgo; & hic ejus curam su-
scipiat ita, ut inter eos intercedat pactum saltem implicitum, de
applicandis mediis probabilioribus, certis, & tutioribus, quæ
magis salutifera videntur, & acquiri possunt: ergo Medicus, vel
Chirurgus graviter peccat contra pactum, consequenter etiam
contra justitiam, si omisso medicinâ certò probabiliori, applicet
minus

minùs probabilem, incertam, periculosam, cùm sic periculosè consulatur saluti proximi corporali. Ex his.

113 Colligere licet rīmō, Medicum illum peccare secundūm communem sententiam, qui adhibet medicinam, cujus virtutem penitus ignorat, id est, de qua nullam habet rationem ex medicinæ regulis, aut experiētiis, an profutura sit infirmo, vel non? quia tunc tutiùs est DEO, & ejus providentiæ infirmum in periculo naturali constitutum relinquere, quām ipsum exponere novo periculo medicamenti. Hinc.

Colliges 2dō, Peccare Medicos, qui ut alicujus medicamenti vim, & efficaciam experiantur, illud absque ratione sufficiēti infirmo tribuunt. Nonnulli excipiunt casum, quo in id expressè consentiret infirmus totaliter desperatus: quia cùm ex una parte vita infirmi jam desperata sit, & ex altera parte aliqua spes sit, vel probabilitas remedii: & adsit consensus aliquis in periculum illud accelerandæ mortis prudenter, & sine injuria ager Medicus adhibendo ejusmodi medium dubium.

Colliges 3tiō: Infirorum curam gerentem peccare, si Medici præscripta violet, alia remedia, aliū victum, aut potum tribuendo infirmis, quām ordinaverit Medicus. Pariter peccare ægrotum, si spretis Medicorum consiliis, & remedijis, ad placitum sibi remedia procuret: quia tunc vitæ propriæ non consuleret, quantum possit, & debeat. Posse tamen infirmum per longum tempus graviter ægrotantem summere aliquod remedium periculosum, si à Medicis sit derelictus, & aliunde sit spes probabilis sanitatis recuperandæ, docent aliqui. Quia in tali casu non tenetur homo se servare cum tantis doloribus; unde non censetur tunc, nisi indirectè, morti propriæ cooperari.

114 Quæres ultimō, An Medicj teneantur gratis præscribere medicinas Pauperibus, & Religiosis nihil possidentibus? Respon-

der

det sylv. cum aliis apud Laurent. n. 359. Affirmative. Ratio horum est, quia cùm præscriptio medicamentorum possit fieri absque proprio incommodo, & cum spe, vitæ proximi conservandæ, vel repellendi gravis mali illius, præcepto charitatis ad eam obligantur gratis exhibendam Pauperibus. Hinc pauper & mendice multiplici titulo est tibi honorandus Medicus sive spiritualis, sive corporalis: Tibi verò Dives præter honorem debitum, est exolvendum quod justum, & taxatum est; *dignus est enim operarius mercede sua*, nec vivere potest vitam temporalem pecuniâ omni nati-
oni, ac populo communi: *gratias,*
DEO gratias.



M AP-

APPENDIX.

De mutuo , & usura.

115 **Q**uæ , & quanta gravitas insit usuræ de mutuo concepta , & parta , ex historia , quam refert Pædagog. Christian. tit. confes. cap. 15. luculentè colligi potest. Degebat in Italia famosus usurarius , qui cùm execrabilem illum quæstum dimittere nollet , in poenitentiæ foro ab Urbis Parocho rejectus , in quemdam Religiosum incidit , qui cæteros arctioris conscientiæ , & scrupulosæ insimulans , hominem , toties prohibitum absolvit : quô ita se usurarii hujus gratiam insinuavit , ut familiissimè se uteretur , & propè in dies mensæ adhiberetur. Accidit , ut liberalius unà cœnassent , jámque sero vespere vir nomine Religiosus se ad claustrum contulerat : ipse verò vix cubitum se receperat , subita morte extinctus est.

Atque illicò duo ex orco genii , ephæbos ementiti ad cœnobium evolant , quantociùs hunc Religiosum à tali viro acciri denunciant. Ad nuncium hunc illi mirari , mox repentinum morbum forte exortum suspicatus , præeuntes cum socio subsequitur , jámque in forum devenerant , dum cernit usurarium hunc , lunæ beneficiō , in tali tunica inambulantem : percunctatur? Respondet alter alto cum gemitu , se è vivis excessisse , æternis pænis addictum ob *usuras* , & potissimum ob *sacrilegum Sacramentorum usum* ; in quo , cùm ipse partem non minimam culpæ habeat , séque cum corripere debuisset , unà secum æternis inferorum suppliciis cruciandum. Quô dicto immani terra hiatu panditur , & hos duos simul cum ephæbis illis tartareis assumpsit , attonitō , & semimortuō sociō relictō , qui superiori omnem actæ rei tragediam enarravit.

Historia similis, sed felicioris exitus Bzovius ad ann. 1198.n.
 21. Volco sacerdos in Francia vir miræ sanctitatis apud fœneratorem cum quibusdam è Clero pransurus, culinam ejus adiit, opericula à vasis removet, reperitque omnia fercula in busones & serpentes abivisse. Movit ea res hominem ut Volconi supplex omnia injusto lucrō parta suis dominis restitueret. Supererat inter hæc vas triticō oppletum, ultimum usuræ spolium: cuius fortè non meminerat; istud Volco præsente Clericorum comitatu recludi jussit; & ecce novò portentō inter busones ingenitum serpentum copiam offendunt. Mox sacerdos Divinō imperiō efflatus ad fœneratorem: si verus tibi de peccatis dolor est nudus istud vas ingredere: nec mora, usurarius insilit, statimque Volco vase clauso jussit socios crastina luce reverti, tunc autem remotō opericulō nihil præter ossa, tibias, calvariam, ac ossium congeriem reperit.

Lector christiane abhorres casum tragicum? meritō: siquidem ei quid simile nunquam legisti, nec vidisti, nec audisti. Jam quæris: quid sit usura? in gratiam tuī breviter respondebo per dicenda; néque responsum effugies, uti haec tenus Pilati more gerens cum damno, & periculo propriæ salutis, mecum egisti; sed subsequetur te ubivis: quia est connexum *scientia secum, seu conscientia*, quæ est pedissequa cuiusvis.

SECTIO PRIMA.

Quid sit mutuum?

Nota: cùm mutuum sit ledes usuræ; hic de eo accuratè agendum est. Dicitur verò mutuum secundū nominis ethymologiam, quod mutuo tibi ex meo fit tuum. Vel juxta Scotum in 4. dist. 15. q. 2. idem est, ac: *do tibi meum*. Communius autem accipitur pro ipsa mutuatione, quo sensu definitur.

116 Mutuum, est traditio rei numerō, pondere, vel mensurā constantis, facta cō animō, ut statim fiat accipientis cum obligatiōne, ut similis specie, & bonitate restituatur. Colligitur ex Institut. §. 1. quibus modis contrahatur obligatio.

Dicitur *traditio*: quia mutuum traditione perficitur, sicut donatio, vel depositum, & differt à contractibus, qui verbis perficiuntur, ut emptio, locatio &c. Dicitur *rei numerō, pondere, vel mensurā constantis*: quia obligatio mutui in solis rebus, quae numerari, ponderari, vel mensurari possunt, consistit, ut in pecunia, carne, frumento &c. nec est necesse, ut res sint usu consumptibiles, quāvis potissimum in similibus mutuum versetur, nam si mutuatur libra æris, vel argenti, est verum mutuum, licet istius rei usus non sit consumptio, vel alienatio, cūm in definitione non addatur *rei usū consumptibilis*; è contrà verò non est proprium mutuum, si quis dat alteri ovem, vel bovem, quia non constant pondere, ideo etiam non dicimus mutua mihi bovem, sed potius est contractus innominatus: vide licet *dabo, ut des*. Dicitur, *eō animō, ut statim fiat accipientis*: quia transfert dominium rei in mutuatarium, ita, ut si perit, non pereat mutuò danti, sed accipienti: & differt à commoda-to, & deposito, cuius dominium manet penes dantem, & ei perit. Dicitur, *cum obligatione*: quia alias esset donatio. Dicitur, *ut similis in specie reddatur*: nam si alterius speciei res sit reddenda, non erit mutuum, sed permutatio: si verò eadem numerō, pariter non erit mutuum; sed commodatum, vel de-positum. Tandem ut servetur æqualitas, debet esse paris boni-tatis, quae bonitas potest considerari ut intrinseca, quam scilicet habet res ex natura sua, & ut extrinseca, quam habet ex tax-a-tione Magistratus. Hinc

117 Colliges 1. In rebus à pecunia distinctis regulariter est spe-ctanda intrinseca bonitas, ut tantum, & tale reddatur, sive va-lor

lor extrinsecus sit major sive minor tempore mutui accepti: quia in contractibus maximè attenditur id, quod per se terminat intentionem contrahentium, quod est bonitas intrinseca; valor verò extrinsecus se habet ad objectum per accidens, cùm sit contingens, & variabilis.

Colliges 2. In pecunia verò, seu moneta currente attenditur ordinariè valor extrinsecus: quia id, quod in pecunia attenditur principaliter, & per se, est valor à populo receptus; hinc si mutuatarius accepit 100. aureos modò valentes 500. florenos, qui tempore restitutionis minùs valerent, debet supplere illum defectum, nisi specialiter exprimatur in contraetu, ut restituat in eadem sorte.

Quæres 1. An ex mutuo quivis obligetur? & Filiusfamilias e- 118
tiam pubes, imò major 25. annis, si absque consensu patris, aut ejus, sub cuius potestate patria est, mutuum acceperit, non obligatur civiliter ad reddendum, nequidem post mortem patris, aut emanicipationem; sed potest se perpetuò tueri exceptione senatusconsulti Macedoniani: competit autem hæc exceptio non solum filio, sed etiam filiisfamilias, imò etiam eorum parentibus, hæredibus, & fidejussoribus. Nec potest filiusfamilias huic privilegio efficaciter renunciare, quia hoc cederet in detrimentum aliorum, ut statutum habetur L. 1. & seqq. ff. de senatus-consulto Macedoniano, & Cod. eod. Hoc autem senatus-consultum dicitur *Macedonianum*, quia institutum fuit occasione cuiusdam Macedonis foeneratoris, qui Romæ mutuans filiisfamilias, eis occasionem præbuit insidiandi vitæ parentum, ut, illis mortuis haberent unde redderent, & se liberarent à molestiis i-stius Macedonis debitum ex mutuo exigentis. L. 1. ff. sup.

Quæres 2. Seclusò juramentò, an filiusfamilias regulariter ex mutuo obligetur civiliter, & naturaliter? & cum Lessio, & aliis negativè quoad utrumque. Ratio est, quia jus Civile ju-

stissimè id statuere potuit, tum in odium foeneratorum, tum ad præscindendas occasiones multorum malorum: ergo concludendum est ita statuisse, ne alioqui sua lege filiis familias dederit occasionem ruinæ spiritualis, eos liberando in foro externo ab obligatione, quod tenerentur in interno.

Dantur tamen aliqui casus, in quibus filius familiæ ex mutuo obligatur etiam in foro externo: 1. si prudenter credebatur esse sui juris. 2. si habebat peculium castrense. 3. si mutuum conversum sit in utilitatem patris &c.

Quæres 3. An Ecclesia obligetur de mutuo dato à suo administratore accepto absque consensu Capituli? & negativè. Ita hoc statuit jus correctum, & l. i. tit. de *Sacro-sanctis Ecclesiis*. Casu tamen, quô mutuò acceptum fuisset versum in Ecclesiæ utilitatem, teneretur Ecclesia ad reddendum.

Hôc Ecclesiæ privilegiô gaudet Civitas 27. ff. si certum petatur. Item pupillus, vel minor, quorum nomine tutor, vel curator mutuum accepit: ut colligitur ex l. si in rem minoris. 3. cod. quando ex facta tutoris.

SECTIO SECUNDA.

Quid sit usura, & quale peccatum?

NORA: usura potest accipi 1. pro re, & est lucrum ex mutuo; id est aliquid temporale pretiô estimabile, quod suprà sortem, seu summam mutuò datam recipitur, tanquam ex justitia debitum, præcisè ratione mutui. 2. Potest sumi pro contractu; & est mutatio cum pacto accipiendo suprà sortem præcisè ratione mutui. Unde non est usura 1. si aliquid accipiatur suprà sortem ex sola gratitudine, liberalitate, aut ratione lucri cessantis, aliòve simili titulo, de quo sectione 7. & sequentibus dicetur. 2. si id,

si id, quod accipitur non sit justè pretiō æstimabile, ut liberatio à vexatione injusta ipsius mutuatarii. Jam

Dico 1. Usura propriè sumpta, est lucrum quæsitum ex mu- 119
tu vi mutui. Ita Canonistæ in *Rubrica de usura cap. 3.* Desu-
mitur ex D. Ambrosio relat. in Decret. 14. q. 3. quodcunque for-
ti accedit, usura est, & ex Concil. Agatensi: usura est ubi am-
plius requiritur, quam quod datur. Quod scilicet lucrum ex mu-
tu vi mutui queritur. Explicantur termini.

Dicitur 1. *lucrum*: per quod intellige quodvis temporale;
pretiō æstimabile acceptum ultra sortem, seu id, quod mutuo
datum est, sive id pecunia sit, sive aliud quodvis, quô gravetur
mutuatarius. Dico autem 1. *quodvis temporale*: nam si ultra
sortem aliquid exigatur merè spirituale, ut orationes, sacrificia,
reliquiæ, Indulgentiæ, beneficium Ecclesiasticum &c. jam non
erit usura saltem simplex, sed duplicata malitia simoniæ: scilicet
& contra justitiam, quatenus indebitè gravatur mutuatarius, &
contra virtutem Religionis, quatenus temporale commodum
mutui compensari petit improbus mutuator re spirituali.
Dico 2. Et *pretiō æstimabile*: quia si exigas aliquid ultra for-
tem quod pretiō æstimabile non sit v. g. gratuitam benevolentia-
m, amicitiam, honorem mutuatarii &c. usura non erit, ut in-
sinuavi in notando secundo hic, & amplius ex dicendis patebit.

Dicitur 2. *quæsitum*: per quod intelligitur, quòd vi mutui
sive sola mente, & intentione interna lucrandi, sive expresso
pacto initio ratione mutui præcisè lucreris aliquid ultra sortem
dicitur usura. Item *quæsitum* vi mutui ex mutuo, sive Princi-
paliter, sive minus principaliter, vel secundario, si enim prin-
cipaliter mutuando intendas amicitiam, vel benevolentiam mu-
tuatarii; secundario verò, & minus principaliter quæras lucrum
ex vi mutui, adhuc usurarius eris, ut ex Valentia notat Tam.lib.
9. tr. 1. cap. 3. §. 1, Ratio est, quia quando aliquid ex se malum
est,

est, semper malum, & peccatum erit illud etiam minùs principaliter, & secundariò intendere: ut si judex principaliter damnet reum ob justitiam, secundariò verò, & minùs principaliter ob inimicitiam, odium, & vindictam privatam erga reum, utique adhuc peccat, quia inimicitia, odium, & concupiscentia vindictæ semper mala est, ergo &c.

Dicitur 3. *ex mutuo*: ubi intelligitur mutuum sive expressum, sive tacitum, seu palliatum, ut infra numero 120. declarabitur; siquidem in solo mutuo expresso, vel tacito usura locum habet. Unde si lucrum quantumvis injustum non fiat ex mutuo, sed ex alio contractu, v. g. emptione, venditione, locatione &c. usura non erit, sed species furti. Hinc si tuam pecuniam alteri concedas non ad usum dominii, sed v. g. ad ostentationem, exigitò pretiò, usuram non committis: imò pretium justum accipiendo non peccas, quia accipis tanquam ex locato, non ex mutuo scilicet pro usu aliquo pecuniæ tux sub tuo dominio permanentis.

Dicitur 4. *ex vi mutui*: quod tripliciter intelligi potest, 1. si ex mutuo aliquid accipiendo lucraris non ratione ipsius mutui per se, sed ratione alterius justi tituli adjuncti, seu propter verum interesse, de quo sectione 4. usura non erit. 2. *vi mutui*: per quod intelligitur obligatoriè per modum debiti *ex justitia*: quia illud *vi* significat urgentem, & omnimodam obligationem, quæ est ipsissima obligatio justitiae. Dico *tanquam per modum debiti ex justitia*: revera enim non est debitum *ex justitia*, sed vera *injustitia*, usurarium lucrum, et si exigatur iniquè tanquam per modum debiti *ex justitia*. Dicitur 3. *vi mutui*: per quod intelligendum est mutuum adæquate sumptum, hoc est, quoad omnia sua intrinseca, & necessariò connexa prædicata, adeò ut usura sit, quidquid temporale pretio estimabile accipitur supra for-

sortem, ratione ipsius mutui, vel alicuius in ipso mutuo essentialiter imbibiti, vel ei necessariò annexi.

Usura hōc modō descripta dividitur 1. in realem, seu externam, quæ est, in qua mutuator verbis, seu aliis signis externis clarè, vel obscurè mutuatario declarat voluntatem suam accipendi aliquod lucrum ratione præcisè mutui, ut si dicat: do tibi 100. hac conditione, ut reddas 100. & 10. vel si solum dicat, mea pecunia ad me non solet redire sola. Et in mentalem, seu internam, ac tacitam, quæ fit tunc, quando mutuator nullō signo externo deducit in pactum, aliquid tamen supra sortem recipit, aut accipere intendit tanquam debitum ex justitia.

Dividitur 2. in apertam, & palliatam. Aperta fit tunc, quando lucrum accipitur ratione mutui formalis. Palliata contingit tunc, quando aliquid accipitur ratione mutui virtualis in altero contractu impliciti, & velut ejus palliō tecti, ut si vendas cariūs præcisè ob dilationem pretii &c.

Dico 2. Usura ex genere suo est peccatum mortale. Probatur ex jure tam civili, quam canonico: nam in jure civili L. *Improbum fēnus. cap. ex quibus causis infamia irrogetur.* statuitur infamia. In jure verò canonico tit. *de usuris* habetur, quod non faciant valida testamenta, nisi facta ante mortem sufficienti cautione. Quod non admittendi sint ad sacram Communione, neque ad confessionem peccatorum, donec satisfecerint, vel idoneam cautionem dederint, vel urgente periculo mortis juraverint se non habere unde satisfaciant. Quod nec possint Ecclesiasticā sepulturā gaudere usurarii; quæ pœnæ utique culpam in suo genere gravem, seu mortalem supponunt. Dixi in suo genere, unde

Quæstio oritur an detur parvitas materiæ, & culpa venialis 122 in contractu usuræ? Respondent negativè nonnulli apud Dianam par. 5. tr. 5. resol. 30. dicentes ita facere pactum esse mortale

ex objecto, ut nulla in eo detur parvitas materiæ excusans à mortali. Rationem desumunt ex illa dictione SS. Canonum: *quid quid accipitur ultra sortem;* etiam de re minima verificatur: nihilominus sententia contraria, & communior DD. apud Lugonem *disp. 25.* fin. videtur esse probabilior, videlicet dari parvitatem materiæ, & culpam venialem ratione ipsius in usura.

Ratio esse potest: quia tota malitia usuræ est contra justitiam quatenus usurpatur alienum, sine sufficienti titulo; ideoque injustè; sed impossibile est esse gravem, adeoque mortalem injustitiam, quando id, quod injustè usurpatur est quid exiguum, utpote levissimum lucrum ultra sortem, ut v. g. pro 100. aureis duos grossos, quod & sine mutuo, simplici furto acceptum, præcisus circumstantiis, per se loquendo non esset peccatum grave, seu mortale: ergo multò minus peccatum erit, si acipiam propter mutuum, quô alteri beneficium præsto.

SECTIO TERTIA, Quo jure prohibitus sit contractus usuræ ?

¹²³ **D**ico 1. usura est prohibita jure Divino. patet ex Psal. 14. ubi ingressus regni cœlestis illi promittitur: *qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Item ex illo Ezech. 14. *qui ad usuram non accommodaverit, & amplius non acceperit, hic justus vitâ vivet.* Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo.* Tandem Lucæ 6. *Benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes.* Quod per modum præcepti, & non consilii dictum agnoscit Urbanus III. can. *consuluit. de usuris.* ergo,

¹²⁴ Dico 2. Usura Jure Canonico etiam prohibetur. Patet ex Decreto causa 14. q. 3. & 4. Et ex Decretalibus toto Tit. de Usuris.

ris. Et ex 6. Decr. eodem tit. Et Clement. de Usuris.

Dico 3. Usura etiam jure naturæ est prohibita. Probatur 1. ¹²⁵ quia inæqualitas rei datæ, & acceptæ in contractibus est jure naturæ illicita contra justitiam; sed usura infert in contractu mutui inæqualitatem inter rem mutuò datam ex una parte, & acceptam ex altera parte, cùm illa datio mutui non pluris valeat, quàm res ipsa mutuò data; ergo.

Probatur 2. quia in mutui datione transfertur dominium (nam hoc sonat vocabulum *mutuo*: *do tibi meum*) ergo qui dat mutuò, non manet dominus pecunia mutuata, consequenter si pro illa pecunia accipit aliquid ultra sortem, non pro suo recipit, sive vendit non suum. Imò ut Scotus loquitur: esto pecunia maneret sua, illa tamen pecunia non habet ex natura sua aliquem fructum, sicut habent alia ex se germinantia, & fructifera, sed tantum provenit aliquis fructus ex industria alterius, scilicet utentis, ergo ille volens recipere fructum ex pecunia, vult habere fructum de industria aliena, quam tamen non dedit ille alius ex hoc, quòd acceperit mutuum ab alio; Et hinc est disparitas quòd fructus aliquarum rerum v. g. lignorum germinantium possint computari ad sortem rei.

Confirmatur, nam jure naturæ illicitum est, & contra justitiam commutativam in commutatione plus recipere, quàm valeat quod datur; sed illud fit in usura, cùm accipiatur aliquid ultra sortem: id est supra valorem rei commutatæ; ergo in ea non servatur æqualitas, adeoque committitur injustitia. Contra hæc

Obj. 1. Illud Deut. 23. *Non fenerabis fratri tuo ad usuram* ¹²⁶ *pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno.* Et cap. 28. *Fenerabis gentibus multis, & ipse à nullo fenus accipies;* ergo de DEI licentia usuræ permitti videntur. R. nego con. quia in priori textu illis verbis: *sed alieno insinuatur tan-*

tum permisso usurarum erga infideles, ad majus malum evitandum, ne videlicet suos fratres usuris opprimerent. Vel quod DEUS ut supremus Dominus dederit potestatem ad accipiendas usuras ab infidelibus, sicut ipsis dedit potestatem in spolia Ægyptiorum. In secundo textu non dicitur: *Fenerabis ad usuram*, sed *fenerabis*, id est mutuum dabis; & significatur benedictio custodientium Legem: videlicet tantas fore eorum opes, ut ipsi nullius indigi, gentibus aliis mutuarent; quo sensu sumi potest illud Eccli. 24. *Fenerare proximo tuo tempore necessitatis.*

127 Obj. 2. Jus Civile ss. & Cod. de usuris approbat usuras; modo sint moderatae v.g. centesimæ, & cogit ad earum solutionem, ergo non sunt contra jus naturæ. R. vel solùm approbat compensatorias laboris, vel damni emergentis, vel certè si merè lucrativeas, dico Jus Civile tanquam in eo repugnans juri Divino, & naturali, corrigi à Canonico harum legum observationem prohibente sub pœna excommunicationis.

128 Obj. 3. Accipiendo aliquid ultra sortem vi mutui, non contingit damnificatio mutuatario, nec inæqualitas; ergo usura non est jure naturali illicita. Antec. patet, nam mutuatarius sponte dat aliquid supra sortem; atqui volenti non fit damnificatio, vel inæqualitas dando quidpiam ultra sortem. R. nego Antec. ad rationem ejus dist. maj. dat sponte hoc est voluntate valida, seu juridica nego. voluntate invalida, seu non juridica conc. maj. Et similiter distincta minore, nego cons. Ratio est; quia quamvis mutuatarius sponte det aliquid ultra sortem: quia tamen hæc voluntas contradicit voluntati Diuinæ, ideo est invalida. Ex his

129 Colliges, quod usura eodem jure prohibita sit, quod furtum; proinde est intrinsecè mala. Nam sicut intrinsecè malum est, rem alienam accipere invitò Dominò: ita etiam intrinsecè malum

lum est sperare , & exigere lucrum supra sortem præcisè titulō mutui. Unde nulla dispensatione potest evadere licita ipsa usura.

SECTIO QUARTA.

An dentur aliqui tituli , vi quorum ex mutuo possit aliquid accipi , seu interesse ultra sortem absque vitio usuræ ?

Nota 1. Contractum mutuum , qui humanæ societati maxime est necessarius , debere fieri ex dilectione proximi præter jam dicta superius , constat ex illo Lucæ 6. *Benefacite , & date mutuum , nihil inde sperantes.* Nihilominus auri sacra famæ effecit , ut tempore moderno non amplius sit gratuitus , sed onerosus , hoc est homines quidem dant mutuō , sed non solum cum obligatione , ut idem *mutuatum* in specie , & bonitate reddatur ; verum præter hoc plus restituatur , seu ultra sortem aliquid detur , & hoc quidem ex variis titulis , qui generaliter revocantur ad tria capita . 1. *Lucrum cessans.* 2. *Damnum emergens.* 3. *Periculum sortis.* De primo in præsenti ; de secundo , & tertio in sequentibus sectionibus videndum est , an licite , & justè vigore horum titulorum possit aliquid exigi (quod communiter vocatur *interesse*) ultra capitale .

Nota 2. *Lucrum cessans* contingit , quando scilicet mutuum dando Caius v. g. amittit occasionem lucrandi ex sua pecunia , quâ poterat sibi emere domum , agrum &c. aliave licita negotiatione lucrum querere v. g. frumentum , aut oleum comparare leviori pretio , quod paulò post vendi possit majori : Titius verò hic & nunc necessitate pressus à Cajo petit pecuniam destinatam ad frumentum coquendum lucrandi gratiâ : cui Caius

dat cum cessatione sperati lucri, quod obtenturus erat coemendo triticum, oleum &c. iterum vendendo.

Nota 3. *Lucrum cessans* aliud esse in re, aliud in spe. 1mum fit, quando quis certò, & realiter ex sua pecunia mutuò data, est percepturus. 2dum est, quò quis se certò sperat aquisitum; quod iterum duplex est scilicet in potentia proxima, & remota. 1mum est, quod cessat alicui ex re mutuò data, quæ res negotiationi erat deputata saltem ex generali intentione negotiandi, ut est apud mercatores in proximiori potentia, & per mutuum præpeditur talis negotiatio. 2dum est, quod cessat ex re mutuò data, quæ nondum erat destinata negotiationi, poterat tamen destinari.

Nota 4. Quosdam Doctores docere ratione lucri cessantis esse illicitum accipere aliquid ultra sortem. Ita Durandus in 3. d. n. 17. q. 2, ad primum. Sotus l. 6. de instit. q. 1. art. 3. Idem tenent multi Canonistæ, ut Joannes, Andreas, &c. Verùm contraria sententia hodie est communior. Cum qua

131 Dico. *Lucrum cessans* est justus titulus ex mutuo aquirendi, vel accipiendi aliquid supra sortem, si conditiones infra num. 134. ponendæ ex P. Sporer tr. 6. pag. 270. n. 44. observentur. Ita communis DD. sententia, quos citant, & sequuntur Lessius, lib. 2. cap. 20. pag. 255. dub. XI. n. 80. Laym. lib. 3. tr. 4. cap. 16. Scotus in 4. dijst. 15. q. 2. §. de secundo. Unde falsè citant Platelius par. 3. pag. 317. n. 634. Amicus, & alii Doctorem subtilem in oppositum; licet quidem apertè ibi non distingvat de damno emergente, & lucro cessante, ut cæteri; tamen quando absolutè asserit: licitum esse deducere in pactum interesse, certò sentit etiam posse in pactum deduci lucrum cessans: nam & hoc est interesse non minus, quam damnum emergens.

Probatur, quia pecunia illa, quam mutuò das alteri, prout subest tua facultati, & industriae ad lucrum ex ea faciendum, pluri-

ris tibi valet, quām ipsa per se considerata; cūm sit veluti semen
fœcundum lucri per industriam, in quo lucrum virtualiter con-
tinetur; ergo plus pro ea exigi potest, quām ipsa per se valeat.
Consequentia patet, nam quando pecuniam mutuas, etiam lu-
crum in illa latens virtualiter, tradere censeris: quō te spolias.
E. G. Si triticum determinatum sationi, dederis mutuō alteri;
plus potes pro eo exigere, quām triticum per se valeat: nam in
illo virtualiter continetur fructus, & dum illud das, simul das
etiam fructum in eo latentem virtualiter, ergo.

Confirmatur 1. ex Scoto cit. Res potest eō majori pretiō ven-
di, quō pluris valet vendenti, eīque est commodior; ergo eti-
am res potest eō majori pretiō tradi mutuatorio, quō pluris va-
let mutuanti, eīque est utilior; sed hæc eō mutuanti est utilior,
quō per illam majus potest consequi lucrum, ergo.

Confirmatur 2. Exigere aliquid supra sortem ratione lucri
cessantis, non est exigere ratione mutui: sed ratione damni ex
mutuo provenientis, quod mutuans nullo jure, aut titulo gratis
obligatur subire.

Obj. 1. textum illum Lucx 6. *Benefacite, & date mutuum,*
nihil inde sperantes, ergo mutui datio debet gratis fieri. 132
¶ dist. cons. debet gratis fieri, si mutuum præcisè consideretur conce-
do; debet gratis fieri pro spe lucri, quam ex illa pecunia ac-
ceperat, qua spe mutuans se simul privat, dum illam tradit, ne-
go consequentiam. *Quomodo licitum est aliquid accipere ra-*
tione lucri cessantis.

Instabis 1. Ratione lucri cessantis exigere aliquid, est dare
ansam multis usuris, quæ sub prætextu lucri cessantis facile committi possunt; ergo. 2. Non potest mutuator licetē vendere, quod nondum habet, & quod multis viis impeditri potest; sed lucrum cessans nondum habet, & multis viis impeditri potest; ergo.
Maj. patet ex D. Thoma q. 78. art. 2. ad primum, ubi dicit: com-

penſa-

pensionem damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucretur, non posse in pactum deduci: quia non potes vendere id, quod nondum habes, & à quo potes multipliciter impediri.

R. ad 1^{um}: nego antec. quia non propterea, quod aliquis suâ culpâ sumat occasionem usuræ est tacenda veritas; cùm non minùs sit cavendum, ne justi contractus condemnentur, ut usurarii, & eorum authores obligentur ad restitutionem, quod dum, & intollerabile esset. Ad 2dum. dist. maj. quod nondum habet nec in re, nec in spe proxima concedo; quod nondum habet in re, habet tamen in spe, & potentia proxima nego maj. similiter dist. min. nego cons. Nam quidquid jam est in tali firma spe, potest vendi: cùm pretiō sit æstimabile, licet non tanti, quanti est in se, & in re, sed quanti æstimatur prudentis iudicij. Doct̄or Angelicus ibi solū loquitur de lucro remoto; quando nempe pecunia nondum erat negotiationi destinata: vel certè solū vult non posse tantum exigi, quantum erat lucrum possibile, sed semper aliquid minus, ut colligitur ex eodem q. 62. art. 4. ad primum.

133 Obj. 2. Lucrum videtur alicui cessare tunc, quando invitū prohibetur, ac impeditur; sed preces non cogunt, præsertim si mutuator se ad mutuandum offerat: ergo non potest jure videri lucrum cessans quando se offert, vel precibus cedit. R. non tantum dicitur alicui cessare lucrum, quando invitū privatur, vel impeditur; sed etiam quando ipse se privat, sive id faciat sponte, sive ad preces alterius: hoc enim est pretiō æstimabile. Sicut si quis me roget, ut non laborem, vel ut instrumenta artis meæ v. g. calatum, atramentum &c. ipsi commodem, possum pacisci de lucro cessante: non enim teneor me privare meō emolumētū gratis. Ubi adverte, ut hujusmodi actio licetē fiat, diligenter considerandæ, & observandæ sunt sequentes conditio-
nes ex P. Sporer supra citato.

Prima

Prima est: quod mutuum datum sit vera causa lucri cessantis, ut scilicet ideo tibi lucrum cesseret, quia mutuum das, alioquin non cessaturum: adeoque requiritur, quod pecuniam, vel rem mutuò dandam jam ad negotiandum, vel lucrandum destinaveris; alioquin sicut nullum intendisti, vel sperasti lucrum, ita mutuum tibi non erit causa cessantis lucri, consequenter pro eo nihil exigere poteris. Addunt tamen DD. cit. Molin. Less. Laym. Lugo, tametsi mercator alias pecunias in arca servet ex qualibet causa, & negotiationi destinaverit alias certas, quas postea mutuò dat, adhuc posse exigere lucrum cessans, quod revera tunc illi cessat ratione hujus pecuniarum: quia defacto haec pecunia fructificatura erat, & non alia illa in arca seposita.

Quinimò probabile censem Laym. & Lugo cum Lessio cit. quod, et si quis pecunias suas defactò nulli negotiationi destinariet, voluisse tamdestinare, sed ideo noluit, & apud se servavit, quia scivit aliquos à se mutuò petituros, adhuc compensationem lucri cessantis exigere, & recipere posse, quia revera in gratiam mutuatiorum lucro alioquin sperato abstinuit; & defacto revera mutuat id, cuius parentia est causa, ut sibi illud lucrum cesseret: & licet tunc mutuum non sit causa immediata lucri cessantis, quando jam transiit opportunitas lucrandi, est tamen causa mediata: quia ut alteri mutuarem, cum damno meo pecuniam, à statu secundo ad statum sterilem transtuli, prudenter existimans, id alios cupere, & ratihabitueros. Vide Lugo cit. de hoc latè, & doctissimè differentem; quamvis moneat Confessarios, ut hic in consiliis cauti sint; neque enim in praxi est facile concedendum, ob periculum palliandi usufruunt. Denique si mutuans dubius sit, an talem pecuniam alioquin negotiationi destinasset, nec ne, non poterit tunc accipere hoc lucrum saltem totum, sed ad summum aliquid proportione dubii à prudenti viro decernendi, ut observat Tambur. hic lib. 9. tr. I. c. 3. §. 4. n. 3.

135 Secunda est : ut servetur æqualitas , ut scilicet non exigatur ultra sortem , nisi quantum istud lucrum cessans valere potest detractis expensis faciendis , vel æstimatione periculi , ac incertitudinis lucri , judicio prudentis viri : quia lucrum in spe minùs valet , quàm lucrum in re , hinc quando lucrum est dubium , seu sub periculo ; aut quando tu non eras voluntate firma negotiandi , cùm nescires occasiones superventuras , certò multò minus accipere poteris judicio experti viri . Sed nunquid etiam deducere debebis æstimationem laboris tui , quem aliàs adhibere deberes in negotiando tuis pecuniis , vel aliis rebus , quas modò alteri mutuas ? Affirmant multi . Multi negant . At Lessius , & Lugo commodiùs ita distingvunt . Si mutuans non velit laborem suum pecunia redimere , sed potiùs velit laborare , quàm aliquid lucri amittere , poterit totum lucrum cessans exigere etiam comparato labore , nihilo pro eo detraæto . Si autem laborem suum parte lucri redimere velit , debet eam partem de lucro detrahere . Ratio est : quia quoad compensationem lucri cessantis accedit mutuo contractus innominatus ; scilicet do tibi tantum ultra sortem . ut aljunde non lucreris , & insuper à labore vaces : si ergo alter dicat : non curo de meo labore , sed omnibus modis lucrari volo , tunc totum lucrum cessans exigere poterit ; si verò acceptat vacare à labore , tunc partem lucri labori respondentem necessariò remittere , & detrahere debet ; aliàs mutuatarius nimium solveret , scilicet pro toto lucro , & simul pro labore , cùm tamen otium concedatur ipsi volenti ut acutè arguit Lugo cit . n . 98 . Cùm ergo labor ei involuntariè cesset propter mutuum tibi datum , non erit privandus lucro illi labori in negotiando correspondente ; quemadmodum injuste vulnerans pauperem opificem , tenetur ei compensare totum fere lucrum cessans , etsi is jacens in lecto otietur , quia involuntariè otiatur , & omnino laborare mallet , & lucrari : ex altera

tera autem parte , quia communiter homo cessationem notabilis laboris emeret aliquo parvō pretiō , ideo ejusmodi pretium in proposito erit decidendum.

Tertia est : ut de hoc opere scilicet lucro cessante compensando præmoneatur mutuatarius , ut id in pactum deducatur : nam fortassis ille sub hoc onere mutuum accipere nollet. Exceipe: nisi tu ad mutuandum cogaris. Hoc autem pactum compensandi lucrum duobus modis fieri potest. 1. Tunc statim determinando lucrum mediocre , quod ex tua pecunia speras , deductis expensis , & aliis suprà expressis : & huic lucro postea standum erit , sive tu plus , sive minus , vel omnino nihil lucratus fuisses ; quia par fuit periculum , & tanti vendidit illud lucrum mutuans , quanti tunc prudenter estimatum fuit : ergo tanta correspondens merces erit danda. 2. Sic ut fiat pactum indeterminatè , ut tantum ultra sortem detur , quantum mutuanti cessabit de lucro alioquin aquirendo : quantum autem lucri cessaverit , deprehendi poterit vel ex eo , quod mercatores alii in simili negotiatione lucrati sunt , vel ex eo , quod ipse mutuans alias lucratus est in simili negotiatione per aliam æqualem pecuniam : ubi in foro conscientiæ suam ipse consulat conscientiam : in foro externo enim difficulter probari poterit , vel quod ces- saverit lucrum , vel quod tantum cessaverit , ut docet Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 109.

Quartam conditionē meritò addunt R.R. ut scilicet compensatio lucri cessantis non solvatur statim à mutuatario , sed postea tempore convenienti , quo scilicet mutuans fecisset illud lucrum , si non mutuasset. Ex communi Medin. Tolet. Molin. disp. 316. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 11. n. 99. Lugo cit. disp. 25. sect. 6. §. 1. n. 106. & alii apud ipsum. Ratio est : quia lucrum cef- fans ex mille mutuò acceptis si sint quinquaginta , & hos statim solvas , re ipsa non accipis mutuò mille , sed tantum 950. qui- bus

bus non respondet tantum lucrum, sed aliquid minus. Intellige tamen, nisi aliquid aliud addatur, quo id justificari possit. Lessius cit. n. 100. hoc remedium suggerit, ut v. g. mutues alteri 1000. ita tamen, ut cum interessè lucri cessantis mutues solum 950. reliquos 50. sine interesse: hos 50 statim recipere poteris sine injustitia pro interesse 950. tunc enim mutuatarius non solvet lucrum ex ipsa summa mutuata cum interesse, sed ex alia: neque is plus æquò gravabitur, cùm alioquin postea deberet certò illos 50. & onus nunc anticipato dandi compensari sufficenter videtur ex eo, quòd reliqui 950. deinceps gratis tibi manent. Subtilius remedium suggerit Caramuel lib. 1. *Theol. Mor.* n. 155. ut fiant duo contractus, unus mutui, alter venditionis lucri sperati. Alium crassum modum excogitavit Azorius, ut nimis illud interesse statim solvatur non in pecunia, sed in alia re æquivalenti, vino, frumento &c. sed hoc certè improbabiliter, cùm ejusmodi res data, utique vicem pecuniae subire debeat.

SECTIO QUINTA.

De titulo secundo, seu damno emergente ex mutuo.

Nota. *Damnum emergens* contingere tunc, quando Cajus v. g. ex re mutuò data, vel danda jacturam patitur, vel passurus est in suis rebus, quas habet, vel quæ ipsi debentur. Estque duplex, scilicet vel intrinsecum rei ipsi mutuatæ, e. g. ut mense Aprili, vel Majo mutuet triticum in Octobri vel Novembri restituendum, quando minus valebit. Vel extrinsecum, seu aliunde proveniens, sic si ad finem Octobris pecuniā pro vino coemendo destinatam mutuò det, unde mensibus Martio, Aprili &c. cariori pretio emere cogatur, aut ex absentia pecunia mutuò

tuò datæ res suas leviori pretio distrahere compellatur ob occurrentes necessitates : dubitatur, an hujusmodi damni justè æstimati compensationem licetè exigere possit Caus mutuans ultra capitale aliquid ? Ad quod R. &

Dico : *Damnum emergens ex mutuo est justus titulus accipiendo aliquid supra sortem,* Ita communis cum D. Thom. Scoto 4. dist. 15. q. 2. art. 2. n. 18.

Probatur 1. auctoritate Doctoris Subtilis citati : *Quandque licet acipere ultra capitale ex pacto &c. secundum est ratione interesse, debitor enim, ex cuius non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de justitia satisfacere creditori de interesse.* Ergo.

Probatur 2. ratione : quia licitum est mutuanti se servare indemnem, & laborare, ne officium, quod alteri præstat, sibi sit damnosum. Denique *damnum emergens* est pretiō æstimabile, & ab usu pecuniae distinctum ; ergo sine ulura de tali pretio poterit pacisci, cum naturalis ratio dictet, neminem obligari cum suo damno alteri præstare beneficium.

Nec dicas : scotum sensisse oppositum loco cito ; siquidem ibi 140 dicit : *si non vult (mutuator) damnificari, pecuniam sibi necessariam reservet : quia nullus cum necessitat ad faciendam misericordiam proximo ; sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex Lege Divina, ut non faciat eam vitiatam ; ergo ratione damni emergentis nihil potest ultra sortem accipi.* Nam R. Doctorem ibi solum reprobare palliatam usuram, seu mutuum vitiatum, quatenus sape prætextu damni emergentis, ubi nullum subest damni periculum, aliquid supra sortem, vel ultra *damnum emergens* exigitur ; quod autem sic sit intelligendus, patet ex verbis in prima probatione adductis, ubi ponit aliquos causus exceptos, in quibus licet ultra sortem accipere, & ibi mutuator non prohibetur lege Divina mutuare cum obligatione.

ut damnum compensetur, cum naturali æquitate mutuarius te-
neatur damnum compensare, quod ex mutuo nascitur.

141 Porro compensatio damni emergentis ex mutuo, ut absque
vitio usuræ exigi possit, P. Sporer cit. tres ponit conditiones.
Prima est, ut mutuum sit revera causa hujus damni, idque rati-
one mutui dati certò mutuatori eventum sit, vel eventurum ra-
tionabiliter timeatur, neque aliter impediri possit: nam si
mutuans habeat alias pecunias, aut illas facile comparare que-
at, quibus impedire possit damnum suum, non est ratio damnum
illud tribuendi mutuatario, aut ratione damni illius exigendi ali-
quid ab ipso, cum revera mutuum non sit causa illius damni.
Cui subscribunt omnes cum Navarro cap. 17. n. 111.

142 Secunda conditio est: ut servetur æqualitas, & juxta da-
mnum, vel damni periculum æquale pretium detur, neque id
excedat limites damni. *Rursus omnes.* Cum autem incerta
plerumque sit æqualitas damni, quod tibi ex mutuo alteri dato
eventurum sit, id omnibus consideratis expendet vir expertus,
& conscientiosus, juxta modum supra numero 134. dictum in
simili de lucro cessante.

143 Tertia conditio est: ut mutuarius expresse præmoneatur,
seu quod idem est, ut ab initio pactum fiat de ejusmodi damno
emergente compensando, fortassis enim is nollet cum eo one-
re mutuum recipere: si ergo taceas, censeberis condonare id,
& nihil in pactum deduxisse: tametsi postea damnum ex mutuo
dato incurras: nullam amplius compensationem poteris postu-
lare, ut recte monet Layman. cit. num. 10

Exeipe tamen, nisi ab altero potente, Principe v. g. ad mutu-
andum coactus fueris; coactio enim illa ad mutuandum meritò
censetur implicitus consensus ad omnia, quæ mutuans patitur,
compensanda. Idemque dic de lucro cessante. Ex communī
Layman. ibid. Tamb. cit. §. 3. n. 3. Itaque sicut quoad lucrum
ces-

cessans , ita etiam quoad damnum emergens in mutuo sit aliis contractus innominatus natura sua justus : facio , ut des : ut potte ingratiam tui mutuans desisto ab hoc lucro , hoc vel illud damnum subeo , ut ultra sortem reddendam des mihi 10. florenos . Potest autem hoc pactum dupliciter fieri : 1. sic , ut mutuatarius se obliget ad compensandū istud damnū , cūm contigerit , quod cūnque illud futurum sit ; idque justissimē servatis dictis conditionibus . 2. sic , ut statuatur certa quantitas justa , mediocris , attentis circumstantiis , & quantitate damni probabiliter emersuri , juxta secundam conditionem , & hanc taxam acceptatam postea ultra sortem reddere , obligabitur absolutē mutuatarius , & mutuans justē recipiet , sive damnum majus , sive minus , sive fortè nullum emiserit , quia æquale est periculum , ut in simili supra dictum de lucro cessante .

SECTIO SEXTA.

De titulo tertio , seu periculo fortis amittendæ .

Nota : Periculum in mutuo tunc solet esse , quando mutuans periclitatur de sorte , suo tempore , vel nullatenus , vel non nisi cum magnis expensis , sollicitationibus , & molestiis obtinenda ; ut frequenter contingit : hoc autem periculum non debet esse imaginarium , & fictum , sed verum , juxta prudentem estimationem , & pariter relinqu arbitrio mutuatarij , ut vel det aliquod auctuarium ratione periculi , vel præstet cautionem per pignus &c. adeoque si mutuatarius hōc modō assecuret mutuantem de recipienda sorte , nihil potest exigi ultrā sortem , quia tunc titulus pariculi jam cessat . Utrum autem cesseret , quando mutuans rationabiliter judicat fore periculum amittendi sortem , vel non nisi difficulter , & cūm expensis eam recuperandam :

dam : idque ex inde , quia mutuatarius est dubiae fidei homo , plurimis obstrictus debitibus , cui probabiliter periculum timeri possit ne aufugiat , vel ne deficiat in solvendo , aut non nisi fatigio , molestia , debitum ab ipso restituendum sit ? etiam in his & similibus casibus posse aliquid licite accipi ultra sortem negant Sotus lib. 6. q. 4. art. 1. ad primum . Navar. & alii non pauci ; affirmant verò cum communiori Angelus usura i. n. 38. Medina cap. de restitutione q. 38. §. ad tertiam causam . Lugo disp. 26. n. 81. Diana par. 1 de contro. resolut. 37. cum quibus

145 Dico , Periculum sortis amittendæ , vel difficultas recuperandæ ejusdem , videtur esse licitus titulus accipendi aliquid supra sortem .

Probatur 1. quia exponere se periculo , amittendæ , vel diffculter recuperandæ sortis ; est pretiō estimabile , néque sequitur ex natura mutui , sed ex conditione mutuatarii , v.g. quod sit persona difficilis conventionis , ignota , debitibus gravata , &c. ergo illud periculum licite potest deduci in pactum , cùm quivis ad cavendum suæ indemnitatì possit inire contractum assecuratio- nis , & ideo aliquid in assecurationem exigere .

Probatur 2. Periculum sortis est extrinsecum mutuo ; ergo quando aliquid exigitur supra sortem titulō periculi , non exigitur præcisè ratione mutui , sed ratione alicujus pretio estimabilis mutuo per accidens connexi . Antec. probatur , periculum sortis est separabile à mutuo per pignus , aut fidejussorem à mu- tuatario ; ergo periculum sortis mutuo est extrinsecum . Minor verò subsumpta , videlicet , quod periculum sortis sit justō pre- tiō estimabile ; patet ex inde , quod fidejussor propter onus præ- standi istud periculum , quod in fidejubendo in se suscipit , juxta omnes licite possit pretium isti oneri proportionatum exigere , cōque justè compensari : ergo etiam ipse mutuator fungens vice fidejussoris suscipiendo in se onus pretiō estimabile istius periculi mutuo

mutuo extrinseci, potest justo pretio compensari, illudque absque ulla usuræ palliatæ macula exigere; cùm per hoc nihil exigit præcisè ratione mutui, & istius oneris susceptio sit ejus respectu æquè mutuo extrinseca, æquè gravis, & consequenter æquè pretio æstimabilis, ac respectu fidejussoris à mutuatore distincti: nihil enim hic ad compensationis exigendæ justitiam conferre potest identitas, aut distinctio personæ mutuantis, à persona formaliter: aut virtualiter fidejubentis: quia ista distinctio, aut identitas, nihil prorsus facit ad gravaminis in alterius commodum suscepti æstimabilitatem.

Quæres, si præfixo tempore v. g. anno completò totum capitulo 146 solvatur, an possit mutuator supra illud aliquid exigere à mutuatario? R. affirmativè. Ratio est: quia hoc exigeret ratione gravaminis, quod certò subivit sustinendo per unum, aut plures annos illud periculum, & timorem amittendi sortem mutuò datam. Colligitur ex Tamb. de controv. lib. 9. §. 6. n. 4.

Cæterùm ut licetè hoc exigatur, observa 1. ut non plus exiges ratione periculi, quām ipse alteri velles dare pro talis periculi redempzione, si pecuniam tuam in illud conjicere cogereris: nam hoc est judicium, te justam æstimationem non excedere.

Observa 2. ut sit verum periculum, ex quo probabiliter timeratur sequi incommodum: nam si periculum concipiatur, & timeatur improbabiliter, & irrationabiliter, hoc est ex sola pusillanimitate, vel dissidentia &c. mutuatoris, tunc cessat titulus periculi, ut notavi num. 144. Et ratio est: quia hujusmodi molestiæ, & timoris non est causa mutuum, sed mutuatoris phantastica apprehensio, & vitiosa dispositio, vi cuius nihil potest exigere justè; alias quantò quis esset meticulosior (uti solent esse senes pecuniarum avidissimi, & tenacissimi) tantò plus posset exigere ex mutuatis imperialibus, qui omnibus aliis majorem molestiam patitur.

Observa 3. debere timorem periculi niti ex parte mutuatarii aliqua ratione probabili, ita, ut quivis prudens Vir considerata qualitate mutuatarii, cæterisque adjunctis, probabiliter possit dubitare, & timere periculum non recuperandi sortem. Quare si id non adsit, sed solum falsa apprehensio, vel dissidentia mutuantis, non erit justa & sufficiens causa ad aliquid exigendum, & accipiendum.

148 Dices contra conclusionem 1. Ex cap. Naviganti. 19. de Usuris. ubi Gregorius IX. rescribit Naviganti ad nundinas: certam mutuans pecuniaæ quantitatem, eò, quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus; ergo periculum sortis &c. 2. Periculum mutui subest omni mutuo ab intrinseco; ergo semper sub hoc prætextu licet ultra sortem potest quis exigere, & accipere.

R. ad 1mum, nego conseq. quia Gregorius ibi loquitur de exigente aliquid supra sortem non ob periculum mutui, sed rei mutuatae; & quando mutuator ab initio cogit mutuatarium ad in eundum pactum assecurationis, ita ut alias ei denegaret mutuum; quæ obligatio cum non sit pretio estimabilis, jam reddit contractum mutui illicitum.

Ad 2dum, nego Antec. quia posset mutuum dari sub pignore, fidejussione &c, aliter debtor posset esse integræ fidei notus ab experientia, proinde nullum subesset periculum.

SECTIO SEPTIMA.

Utrum ob parentiam pecuniæ, vel dilatationem solutionis, aut obligationem non repetendi ante certum tempus, possit aliquid exigi?

Nota; quidam ex antiquioribus putarunt propter dictos causas

sus posse aliquid exigi; in qua opinione fuit Joan. Medina cap de Restit. q. 32. §. inde infertur; cui contrarium docet scotus in 4. dist. 15. q. 2. cum quo

Dico: Ratione carentiae pecuniae, vel ob dilationem solutio- 149
nis &c. nihil potest exigi supra sortem licite.

Probatur; quia carentia pecuniae ad tempus, sicut & dilatio, & obligatio, non repetendi usque ad illud tempus est intrinseca, & de essentia mutui; ergo dum aliquid recipitur ratione hujus, recipitur ratione mutui, quod est illicitum. Antec. probatur, qui dat mutuum, alienat rem suam a se, adeoque mutuum essentialiter includit, quod suâ pecuniâ careat, quod non possit repeti, nisi ad certum tempus. Ex hac ratione ab Innocentio XI. & Alexandro VII. haec propositiones sunt damnatae: prima est: *licitum est mutuanti aliquid supra sortem accipere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Secunda. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & ex eo titulo ab usura excusari.*

Dices: mutuans patitur molestiam ex absentiâ suâ pecuniae, 150 seu ratione carentiae, consolationis, & gaudii, quô frui solet domi in arca suam pecuniam præsentem habens, eamque beneficî specili contemplans, longâ obversans barbam, ac manibus tractans chiragricis, ut dicere possit cum illo avaro, cuius meminit Horatius: *At mibi plundo domi, dum numos contemplor in arca;* ergo ratione hujusmodi molestiae, a carentia pecuniae subortae absque omni vitio usuræ, potest quis ultra sortem aliquid accipere. Nego conseq. nam molestia illa in praxi adeò levis videtur, ut inter homines non veniat in considerationem: adeoque nec pretiô aestimabilis. Dein hoc concessò, aperiretur porta nimis ampla ad usuras, quanti enim non aestimaret quisq;

hanc suam molestiam, privationem solatii ex absentia pecuniae? nam quilibet sibi hujusmodi molestiam facile fingeret. Ex hac responsione non mea, sed Djcast. lib. 2. de Just. tr. 10. disp. 2. dub. Tamb. lib. 9. de contr. cap. 5. §. 3. quidam senio confectus Anonimus annorum circiter 65. anxietate tactus.

151 Quærit 1. An licet possit mutuator non solum intendere, sed etiam aliquid accipere à mutuatario ex sola liberali gratitudine, in recognitionem beneficij accepti? Respondent affirmativè cōmuniter Doctores apud Sporer tr. 6. in complem. pag. 268. Ratio est, quia quando mutuans intendit, & accipit ultra sortem aliquid, tanquam liberale donum in compensationem præstiti beneficij mutationis; nihil intendit, vel accipit vi mutui, sed ex liberali donatione, et si intuitu mutui orta: quin etiam mutuatarius sua benefica promissione à mutuatore acceptata obligationem contrahat, non vi mutui, sed vi gratuiti pacti, ac promissionis acceptatæ liberalis: ergo mutuans licet potest intendere, & simul acceptare &c.

152 Quærit 2. An licet possit mutuator verbis admonere mutuatarium de aliquo supra sortem dando, vel præstando ex mera gratitudine, nullam ei intendens obligationem imponere? Ad hoc respondent negativè Richard. Sot. Angles, & alii. Quia (ajunt) hujusmodi insinuationi, & admonitioni semper subest periculum, & præsumptio usuraria intentionis, ac pacti impliciti; nec mutuatarius censeretur liberaliter, & sponte dare, sed rubore, & necessitate compulsus. Contradicunt Dianna par. 1. tr. 8. r. 62. Molina tom. 2. disp. 305. &c. Ratio est; quia nuda insinuatio, & verbalis admonitio beneficij occasione mutationis præstiti non arguit verum pactum, aut coactionem, sed solam compensationem antidoralem, ad quam quivis beneficium accipiens jure natura tenetur juxta D. Thomam opusc. 37. de usuris cap. 4. ubi ait: *ut beneficio exhibito reddatur aliquod emo-*

emolumētū , quāmvis secundūm rei veritatēm non debeat urtā
beneficio aliquid ex justitia , nisi tantūm ex gratia , quod est be-
nevolentia , & gratiarum actio . Ubi addit Sporer citatus : quōd
si mutuans ineat pactūm obligans mutuatarium , ut omnīnō ali-
quid det , vel faciat ex gratitudine , seu ut mutuatarius sit vicis-
sim beneficium præstare , non quidem ex obligatione justitiæ ,
sed solius gratitudinis , & naturalis æquitatis , tanquam antido-
rum , omnīnō illicita , & clara usura est : quia sic clarè mutua-
tariorū superaddit obligationem , & gravamen aliquod .

Nec dicas non esse obligationē ex justitia ; sed gratitudinis tan-¹⁵³
tūm . Nam hoc implicat contradictionem ; quia virtus grati-
tudinis ad positivē compensandū beneficium acceptū , per
se , seclusa alia lege levissimē obligat solā morali debitō , & tan-
tūm generaliter ad qualecūnque beneficium vicissim præstandū
pro suo placito : ergo si pacto explicito mutuatarius obligatur ,
& determinatiūs ad certūm beneficii genus præstandū ratione
mutui , jam ipsi imponitur ratione mutui novum onus , & ob-
ligatio nova , quod ipsum facit ad usuram : atqui illa nova ob-
ligatio ex pacto non potest esse , nisi obligatio justitiæ ; ergo
tunc erit ex justitia , & per se non erit ex justitia , & mutuata-
rius non gratis ex gratitudine , sed obligatus ex justitia da-
ret , quod implicat , quia juxta Jura nemo in necessitate libera-
lis existit .

Hinc ex Dicastillo apud sporer cit . Tamb . lib . decat . tr . 3 . cap .¹⁵⁴
8 . § . 2 . n . 16 . signa liberæ donationis seu gratuitæ remuneratio-
nis adnotat sequentia : 1 . si mutuans seriō recusat , vel reddat
mutuum acceptū mutuatario : & is nihilominus iterum donet .
2 . si idem mutuatarius alioquin sit dives , liberalis , munificus .
3 . si in dando lucrum non præferat tristitiam , vel molestiam :
præsertim quando is non sperat iterum ab eodem mutuum acci-
pere . Contrà verò si mutuatarius sit inops , sit parcus , avarus ,
si in

si in dando tristitiam , vel molestiam præseferat , si conqueratur amicis de jaætura lucri dati : si pateat ipsum moveri ad dandum lucrum , ne denuò petenti mutuum , negetur , ne capitale repetatur &c. Hæc , & hujusmodi erunt non vulgaria indicia involuntarii , adeoque non liberalis donationis.

SECTIO OCTAVA.

An in mutuo poena conventionalis locum habeat ?

155 **N**ota 1. sensum quæstionis esse , an licitum sit pacisci , ut mutuatarius si ad terminum statutum non restituerit , aliquid solvat in poenam suæ moræ ultra capitale e. g. do tibi mutuum 100. ducatos ad annum , quos si in fine anni non reddideris , solves mihi in poenam 5. ducatos.

Nota 2. Discrimen esse inter pactum de poena solvenda , & inter pactum de compensatione damni emergentis , & lucri cessantis , quod propriè dicitur *interesse*. Primum est , quod pactum de poena non habeat locum , nisi suppositâ culpâ in mora ; pactum verò de *interesse* etiam nullâ suppositâ culpâ in mora ; alterum est , quod pactum de poena fieri possit , licet nullum sit periculum damni , vel lucri cessantis , pactum verò de *interesse* non potest fieri , nisi sit spes lucri , aut periculum damni . His notatis.

156 Dico , Potest absque vitio usuræ in mutuo apponi aliquid solvendū pro poena , si tempore determinato non restituatur. Ita Scotus *dijst. 15. q. 2. Joan. Medina q. 3. de Usura. §. quarta causa.* Tamb. cit Ratio ex Doctore nostro cit. §. de secundo articulo. ubi air: volenti , & consentienti non fit injuria : & insuper potest adesse rationabilis causa hōc modō adstringendi , & stimulandi mutuatarium , nempe ut mutuator seruat se indemnum , cùm exp-

experientia doceat, mutuatarios s^ep^e inverecundè morulos es-
se, & mutuatori magnas causare molestias, quæ insunt litibus.

Nec dicas, nullus potest alteri imponere pœnam, nisi supe-
rior; sed mutuator non est superior respectu mutuatarii; ergo.
Nam &. solus superior potest invitum obligare ad pœnam; sed
privatus potest alterum obligare consentientem: Nam tunc ille
per suum consensum seipsum obligat, sicut & in aliis contra-
ctibus.

Ut autem hujusmodi pœna solvenda justè adjiciatur, P. Spo-
rer tr. 6. in complemen. pag. 272. tres requirit, & ponit condi-
tiones: Prima conditio est, ut talis pœna non ponatur in frau-
dem, seu ad palliandam usuram, utpotè, quando mutuans lu-
crum vult habere ex ipso mutuo, advertens autem nullo sub-
sistente justo titulo esse usuram, ad eam occultandam, seu pal-
liandam, dictam pœnam obtrudit, & clarè patet ejusmodi pal-
liatio, atque vera usura realis est, quando imponitur pœna sol-
venda, nulla culpabili mora mutuatarii intercedente; puta,
quem mutuator sciebat intra talem terminum præfixum, scilicet
nimis brevem, non posse solvere. Usuram verò mentalem sa-
pit, quando mutuator mavult pœnam solvi, quam ipsum mu-
tuum à mutuatario: ut cum aliis optimè explicat Lugo Sec. 6.
§. 2.

Secunda conditio est, quod intercesserit culpa mutuatarii,
isque culpabiliter pactum, ac præfixum terminum transgredia-
tur; ubi enim nulla culpa, nulla debetur pœna, quæ necessa-
riò culpam supponit: quare si mutuarius in præfixo termino
sine sua culpa non habeat, unde solvat mutuum, non obliga-
bitur ad dictam pœnam, quia tunc nullam culpam commisit.
At quid si ideo nunc non habet, quia prodigè vixit, vel iniuti-
liter sua expendit? & tunc adhuc teneri ad pœnam: sufficit
enim culpa antecedens, qua debitor prævidet se taliter vivendo
jm-

impotentem fore ad solvendum, ut ex communi notat Lugo
dijh. 22. sec. 19. n. 398. Molina, & Lessio sufficit, quod debitor id prævidere potuerit.

Tertia conditio est, quod poena sit moderata, & proportionata culpæ, prudentis judiciō: nam secūs quod culpm excedit, utique injustè exigeretur. Quò spectat quarta conditio à nonnullis addita, ut mora solvendi sit notabilis; hinc si per biduum, triduum, aut septimanam ultra terminum præfixum solutio differatur, non æstimabitur culpa saltem digna totâ pœnâ. Item si ad terminum præfixum pars, non verò totum debitum solvatur, pœnam quoque proportionaliter diminui justum erit: exceptō, nisi expreſſe ita conventum effet, ut tota summa reddatur simul sub tali pœna, aut nisi totum simul non solvi, æque intersit, ac noceat mutuanti, ut si ideo prædium emere, aliūmve utilem contractum inire non potuit, quia totam summam simul non habuit, ut ex Bonac. notat Tamb. cit. tr. I. cap. 3. §. 5. n. 9. Et addit creditorem acceptantem partem solutionis debiti, si nihil addat, aut explicet, se acceptare sine præjudicio sui interesse censeri liberare debitorem à mora; sibi enim eam partem acceptando præjudicat.

SECTIO NONA.

An mutuator ex pignore perceptos fructus teneatur in sortem computare?

158 **D**ico, si pignus mutuatori datum sit solum in securitatem rei mutuatæ, tenetur fructus ex eo perceptos in sortem computare; nisi ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, aut ratione expensarum in pignore custodiendo factarum accedat aliquis titulus eos retinendi. Est communis DD. & aperitè colligitur ex utróque Jure; Civili L. 1. & 2. de

de pign. action. & l. 1. cap. de dist. pign. & can. cap. 1. & 2. conquer-
fus. de usura. cap. cum contra. cap. significavit. de pign. Ubi le-
gitur: fructus rei oppignoratae computandos esse, detractis in
sortem expensis.

Probatur; quia quævis res suo domino fructificat: sed in
pignore quoctunque dato non trans fertur dominium pignoris in
cūm, cui datur, sed remanet in dominio ipsius mutuarii; er-
go huic, & non illi fructificat: consequenter mutuatans sibi il-
los fructus applicare non potest, sed detraetis expensis, debet
eos reddere mutuatario, vel computare in sortem, seu in par-
tem solutionis debiti; ergo pactum illud, ut fructus pignoris ce-
dant mutuanti usurarium est: nam sic aperte mutuans lucratur
aliquid ultra capitale, seu pecuniam mutuatam; additq; novū grava-
men mutuatario. Hinc quando res non fructifera in pignus
datur v.g. Vestis pretiosa &c. quæ usu atteritur, non potest de-
duci in pactum, ut illa ueste impignorata possit uti mutuator:
quia & hoc esset novum onus mutuatario, qui præter sortem
integralm suo tempore reddendam, pateretur damnum in com-
missio usu rei suæ; & si absque pacto, vel licentia mutuatarii,
mutuans tali re utatur, peccat contra justitiam, cūm invitò do-
minò utatur re aliena; ideoque obligatus manet compensare
æstimationem talis usus. Hinc

Colliges mutuans etiam si agrum sterilem, vel campum, 159
quem mutuatarius non colebat, acceperit in pignus, si suâ in-
dustriâ inde fructus collegerit, tenetur eos, deductis expensis in
colendo factis computare in sortem. Navar. cap. 17.n.216. con-
tra Sotum: quia fructus hōc ipsō, quod nascantur ex re alterius,
pertinent ad dominum illius rei. Ubi adverte, quod si quis ve-
let accipere fructus rei in pignus oblatæ, & postea recipere sor-
tem; deberet illam rem emere cum pacto de retrovendendo,
nam tunc posset percipere fructus; ut notat Cajetanus q. 78. ar. 2.

Q

quia

quia tempore illo medio res ipsius esset, & rei periculum; unde etiam fructus. Posset autem hæc emptio fieri etiam post contractum mutui, & pignoris, si utriusque consensu, rescisso contractu mutui, iniuretur contractus emptionis cum pacto de retrovendendo. Lessius lib. 2. cap. 21. de emptione, & venditione. Insuper

160 Quæres, an possint contingere casus, in quibus mutuator non teneatur fructus pignoris in sortem computare?

R. Ante responsonem Nota: Feudum in 2.lib. Feud. tit. 23. definiri: *Quod sit beneficium, quod ex benevolentia ita datur alicui ut proprietas quidem rei immobili penes dantem remaneat, usus fructus vero illius rei ita ad accipientes transeat, ut ad eum, bæredesque suos sive masculos, sive feminas in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille, & sui bæredes fideliter domino personaliter serviant.* Ex quo patet, quod ille, qui ita dat feudum, dicitur *Infeudator*, & qui recipit dicatur *Vassalus*, qui obligatur ad dominum defendendum, & adjuvandum in pugna etiam contra proprium vasalli patrem, fratrem, aut filium.

Emphyteusis autem est contractus, quod quis tradit rem immobilem alteri quoad dominium utile sub pensione certa reali solvenda domino directo. de quo dicit Scotus in 4. dist. 30. q. 2. §. de secundo. *Usum concedere aliis retentus domini non est inutile extra de verb. signif. exiit, & est bodie in VI. quia usus ille necessarius est utentibus - - - non tamen ita videtur, quod usus possit reservari domini traditò, sicut è converso quia posteriorius magis traditur sine posteriori, quam è converso.* Cui ergo res traditur dicitur *Emphyteuta*, seu colonus; & qui tradit, dicitur *Proprietarius*. Differt autem à feudo ratione pensionis: nam pensio solvenda pro feudo est personalis, id est in obsequio personali consistens v. g. se sistere Principi procedenti ad bella &c.

pensio

pensio vero pro emphyteusi est realis consistens in pecunia, frumento &c. Hoc notatō jam

¶. dari duos casus, in quibus mutuator non tenet fructus pignoris in sortem computare. Primus est, si feudatarius debet aliquid domino directo, & ei in pignus tradat feudum: tunc enim dominus directus feudi potest ejus fructus percipere sorte manente integra, ut patet ex cap. 1. de feudis. & cap. conquestus 8. de usuris. Secundus est, si emphyteuta oppignoret domino directo rem emphyteuticam: nam tunc dominus directus etiamsi laicus sit, potest fructus rei illius percipere. Ratio horum est, quia contractus feudi, & emphyteusis habent tacitas quasdam conditiones, cum quibus semper censentur celebrari, nisi contrarium exprimatur. Inter has una est, ut si dentur in pignus domino directo, possit ipse percipere eorum fructus sorte non imminuta; idque ne res apud dominum directum existens fructificet alteri, quod non videtur consonum rationi. Ex similibus tacitis conditionibus fit, ut feudum in multis casibus revertatur ad dominum directum, ut tenet Sylv. V. feendum n. 17. Præterea adesse debent tres conditiones, ut dominus licet posset fructus istos percipere, quarum prima est, ut non exigat obsequium, vel pensionem solitam. Secunda, ut non percipiat eos, quos res producit, qua parte est melior effecta per industriam emphyteutæ. Tertia, ut feendum, vel emphyteusis non sit comparata magnâ pecuniæ summâ, vel magnis obsequiis antecedentibus; sed bona ex parte gratis concessâ: alias iniquum esset pactum illud de fructibus percipiendis. Navarr. cap. 17. n. 217. Gabr. d. 15. q. 11. art. 2. concl. 4. & alii..

SECTIO DECIMA.

Quæstiunculæ quædam resolvuntur.

- 161 **Q**uæres 1. An possit mutuator ab initio accipere id, quod termino præfixo, & completō esset accepturus pro interesse? Sensus est: An Cajus v.g. possit ab initio sibi retinere 5. florenos ex 100. quos Titius vi lucri cessantis, vel damni emergentis teneretur dare post annum. R, negativē: Ratio est, quia sic non mutuantur 100. sed 95. ergo injustē accipitur lucrum ex 100. Salas, Castrop. d. 5. p. 15. n. 9. Cardenas in 2. Cris. d. 25. n. 77. Alii tamen putant cum Pirh. lib. 5. tit. 19. n. 42. Cajum posse accipere rem infrugiferam distinctam à mutuo, & valentem 5. flor. v.g. vinum, aut pañum &c. tunc enim manet integra sors mutuata; sed Sporer tom. 6. in complement. cap. 4. n. 42. cum aliis negat etiam licere; quia etsi vinum illud non sit physicè 5. flor.; est tamen æquivalenter, ergo re ipsa non mutasti 100. ergo injustē exigis interesse ex 100. cùm necdum tibi cessarit lucrum, aut emergerit damnum, sed solùm futurum sit. Lessius lib. 2. cap. 20. n. 100. hoc excusat, si sic fiat, videlicet: si Cajus det 95. ad intereste, & reliquos 5 mutuet sine intereste, hos 5. (inquit) poterit exigere, & acceptare ab initio: quia lucrum non solvit ex summa, ob quam debetur intereste, sed ex alia, quæ nihil debet. Sporer cit. hic modum hunc meritò cavendum monet; quia videtur sapere palliatam usuram, aut saltem continere mentalem.
- 162 Quæres 2. An incurrit vitium usuræ, si mutues mense Februario, Martio, Aprili, &c. pecuniam cum pacto, ut teneatur mutuatarius eam tibi restituere mense Julio, Augusto, & Octobri, hoc est tempore messis, vel vindemiarum in tritico, vino, vel

vel aliis fructibus, etiam justō pretiō, quō tunc illa valebunt ? Respondent affirmativē AA. cum Tamb. lib. 9. de controv. tr. 1. cap. 4. §. 3. Ratio est, quia etiam hōc modō paciscendo subit mutuatarius novum gravamen: mutuum enim pecuniæ requirit, ut solvatur in pecunia, mutuator verò obligat, ut det vi-
num, frumentum, fructus &c.

Quæres 3. Qualiter reddendum sit mutuum, quando valor pe- 163
cuniæ, aut alterius rei mutuō datae crevit, vel decrevit? R. quo-
ad pecuniam: si pecunia mutuata fuerit v.g. 100. aurei & postea
valor auri crescit, si mutuata fuit in ratione monetæ, id est se-
cundūm valorem extrinsecum, prout aurum in commercio hu-
mano valet nunc v.g. 4. florenos hungaricos, & 40. cruciferos
satis est reddere in alia specie quantum tunc aurum valebat: quia
per accidens se habebat species auri; sed mutuabatur tam mul-
tum monetæ: si verò mutuata fuit in ratione mercis, id est se-
cundūm valorem intrinsecum, quia aurum illud erat tantæ per-
fectionis, & ponderis, deberet mutuatarius reddere tantudem
mercis, adeoque secundūm valorem modernum intrinsecum
auri. Sporer cit. cap. 4. sect. 1. n. 11. Qui cæteris paribus simi-
liter loquitur n. 13, in, & de aliis rebus mutuatis, videlicet fru-
mento, vino, oleo &c. quod restituendæ sint in ejusdem gene-
ris, speciei, & qualitatis, eadem mensurâ, quâ res mutuō data,
& accepta est, etiamsi postea tempore solutionis, aut ipsa men-
sura, aut rei mutuatae pretium seu creverit, seu decreverit, si
nullum aliud pactum accesserit; v. g. mutuâsti certam hujus
temporis mensuram frumenti, olei &c. contingat autem postea
mensuram augeri, vel diminui, semper tamen tibi debetur, atq;
justè exiges mensuram illam, in qua mutuâsti: quia jus habes ad
tantudem. Quoad pretium mutuâsti hoc tempore e.g. 4. car-
tallos seu modios frumenti, qui singuli tunc valebant unum im-
periale, postea autem tempore solutionis propter penuriam
fru-

frumenti, mensura valet duos; debentur tibi solum illi 4. modii frumenti ejusdem speciei, & qualitatis tantundem: aut propter abundantiam novam: dum modius valet unum tantum flor. rhe-nensem, adhuc debentur tibi iidem modii, ejusdem speciei, bonitatis, & qualitatis; Ita expressè, & clarè in terminis Sporer citatus citans Doctores in cap. ult. de usura. Mol. disp. 312. n. 7. Less. lib. 2. cap. 20. dub. 17. n. 149. Lugo disp. 22. sec. 7. n. 114. Ratio est; quia ita usu, & consverudine, & quasi virtuali pacto inter mutuum contrahentes receptum est, ut nimirum si nulla præcesserit contraria conventio, res debeat reddi in pari bonitate, & quantitate, seu mensura, nihil supra, vel infra abstrahendo à pretio. Ergo etiam quando tibi mutuum do modium frumenti, semper à te mihi reddendum expecto, quidquid sit de pretio.

164 Quæres 4. An sit usura si initio mutuationis paciscatur, ut eadem res reddatur, v. g. quantitas mercium, idem numerus pecuniarum; item ut novum frumentum, vinum, &c. reddatur pro antiquo, cuius nescitur pretium nunc, e.g. Januario, Februario, Martio esse minus, quam sursum sit in Julio, Augusto, & sequentibus? R. negativè: ratio est; quia tali casu non exigitur aliud, nisi sors; & licitum est mutuatori commodum querere, quantum absque injuria mutuariorum comparare potest. Sporer tr. 6. in complement. pag. 264. Navar. Mol. Less. Dixi: Cu-jus nescitur pretium nunc: quia si probabilitet, & quasi certò prævideatur augendum pretium frumenti, vini &c. pro aliquo tempore, ante quod vi pacti initi non reddatur mutuum, committitur usura palliata, utri docet cum communī Lugo in resp. moral. lib. 6. d. 23. & de Just. n. 25. & seqq. apud La-croix lib. 3. par. 11. de usura. pag. 427. Ratio est; quia taliter mutuans, aut vendens plus exigeret, quam dederit, & supra sortem datam onus pretiō æstimabile imponeret mutuatorio, quod scilicet re-stituere

stituere debeat frumentum, vinum &c. tempore quo pluris valebunt. Ubi Sporer cit. excipit, ac excusat mutuatorem ab usura, quando hic frumentum, & vinum suum servaturus erat aliunde usque ad illud tempus, quô pluris distrahere potuisset; quia tunc ipsius intererat antea non mutuâsse, consequenter ratione lucri cessantis pretium alterius temporis pacisci poterit, deducta tamen aestimatione custodiae, conservationis, laboris, periculi, quod servando frumenta, vel vinum interim subire debuisset.

165

Quæries 5. An dans mutuò pecuniam argenteam possit exigere, vel pacisci, ut sibi reddatur moneta aurea, aut argentea melioris sortis? R. negatiè: ratio est; quia hòc modò mutuans imponeret debitori onus ultra sortem debitam; cùm pluris valeat moneta aurea, quam argentea: ideoque non tantum, sed plus exigeret, quam deberet.

SECTIO UNDECIMA.

Quænam sint poenæ in usurarios
ordinatæ?

Nota. Varias poenas tum Jure Civili, tum Canonico in usurarios manifestos, esse constitutas; patebit ex dicendis hinc. Manifesti autem, seu notorii usurarii possunt dici vel evidentiâ facti, vel evidentiâ Juris, vel verò evidentiâ confessionis. Evidentiâ quidem facti manifestè tales dicuntur, qui palam, ita, ut nulla tergiversatione negari possit, ad usuram dant. Evidentiâ Juris, qui Judicis sententiâ de hoc crimine sunt condemnati. Evidentiâ verò confessionis, qui legitimo Juris ordine hoc crimen coram Judice confitentur. Sporer tr. 6. in complement. cap. 4. pag. 283. n. 124. Hòc not.

R. 1mo.

166 R. 1^{mo}. Usurarius manifestè Jure Civili est infamis *L. improbus* 20, *cap. ex quibus causis irrog.infam.* Lugo *diss. 25. sec. II.* §. 3. Sylv. Laym.

2^{do}. Jure Canonico usurarii non sunt admittendi ad Communionem Altaris. *cap. quia in omnibus. 3. de usuris.* Ex quibus verbis non infertur, ut quidam volunt, eos esse excludendos ab officio Divino, tanquam excommunicatos; sed solùm à perceptione Sacramenti Eucharistiae. Less. lib. 2.c. 20. *de mutuo, & usura.*

3^{ti}o. Usurarii manifesti sunt irregulares, & inhabiles ad Sacros Ordines, Beneficia, & Officia Ecclesiastica; ideoque si Clericus jam sit, suspendendus est ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico, donec ad arbitrium sui Episcopi satisfecerit, & compulerit reddere, ut habetur cit. cap.

4^{to}. Non possunt absolvī à peccatis, donec satisfecerint, vel idoneam cautionem præstiterint; idque vel creditoribus ipsis, si adsint, vel Episcopo loci, aut ejus Vicario, vel Parocho coram testibus fide dignis, habenti mandatum à suo Ordinario; ut constat ex cit. cap. Si autem hujusmodi cautionem hic, & nunc exhibere non possint, debent jurare se non posse esse præstituros quidquid poterunt, ut fiat restitutio justa: si periculum non patiatur moram, statim absolvendi sunt, & postea cautio exigenda. Less. cit.

5^{ta}. Repelluntur à sepultura Ecclesiastica, tanquam illâ indigni, nisi priùs restituerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterint. *cap. quia in omnibus. 3. de usuris.* & *cap. tanquam. 2. ibidem in 6.* Imò qui scienter in loco sacro usurarium manifestum sepeliunt, præter reatum peccati mortalis, censuram excommunicationis ipsò factō incident, à qua absolvī priùs non debent, nisi postquam ad arbitrium Episcopi Diœcesani competentem satisfactionem exhibuerint iis, quibus eō factō injuria irrogata

irrogata est, prout statuitur cap. quicunque 2.p.de hæret. in 6.& Clem. eos qui. h.tit.

6to. Testamenta usurariorum manifestorum sunt irrita , seu nulla, nisi prius satisfecerint, & usuras restituerint vel cautionem idoneam de iis restituendis præstiterint cap. quamquam. 2. Gloss. v. aliter. de Usura. in 6. Proceditque hoc etsi usurarius condidisset testamentum, antequam manifestus fieret ; quia cap. cit. usurario absolute negatur facultas testandi ; atqui etsi considerit testamentum ante crimen, vel manifestationem illius, si tamen decedat in crimine, verè dicitur testari ut usurarius : quia testari, non est tantum scribere, vel nuncupare hæredem, sed sua bona vi ultimæ dispositionis illi relinquere ; ergo &c.

SECTIO DUODECIMA.

Quid intelligatur per montes pietatis, &
an sint liciti ?

Nota, montes pietatis suum exordium sumpsisse ex nostro Ordine Seraphico: siquidem habita conione P. Barnabæ Interamnensis Ordinis Minorum, permoti fuerunt Fideles, ut ad montes pietatis erigendos eleemosynas subministrarent; ita ut eos in pluribus Italæ locis exstruxerunt Bernardinus Senensis, Feltrensis, Joannes de Capistrano, & alii: Hoc notatô 167

Dico 1. Per montes pietatis intelligi cumulum quemdam pecuniae, vel frumentorum &c. in hunc finem collatum, ut illorum, qui mutuô indigent, necessitatî succurratur, inquis, & sangvisugis fœneratorum usuris occurrat.

Constituti autem sunt hi montes cum his conditionibus; quarum prima est, ut ex illis detur mutuum solis pauperibus ad certum tempus. Secunda, ut mutuatarij dent pignora idonea, quæ

montis Ministri custodian. Tertia. ut completō annō pignora vendantur, & sorte subtracta, quod reliquum est, detur domino pignoris. Quarta, singulis mensibus aliquid minuti solvant mutuatarii ad sustentationem Ministrorum montis, v. g. unum, vel duos florenos ultra sortem: nam si expensæ, quæ erogantur pro stipendio ministrorum, fierent ex massa montis, brevi exhaustur. De hac ultima conditione controvertitur, contineat, nec ne usuram? Cajetanus tom. 2. opusc. 6. item Sotus lib. 6. q. 1. art. 6. Sylv. usura. 5. q. 4. affirmant. Contra quos

168 Dico 2. Montes pietatis esse licitos, seu hujusmodi rationem mutuandi carere nævo usuræ. Est communis RR.

Prob. 1. quia in Concl. Lateranensi Leo X. Seff. 10. approbat hujusmodi montes tanquam pios, & vult eos erigi cum conditionibus suprà adjectis; concedens indulgentias illis, qui manus auxiliares ad hujusmodi erigendos montes extenderint. Pariter Concil. Trid. Seff. 22. cap. 11. inter pia loca numerat hōsc montes pietatis.

Prob. 2. ratione, quia occasione hujusmodi mutationis, nihil accipitur à mutuatariis ratione mutui; sed tantum ratione expensarum, quæ necessariæ sunt ad montis conservationem, & administrationem: atqui licitum est aliquid pro his expensis exigere, & accipere; ergo quod in istis montibus datur, licite exigitur, & accipitur. Min. prob. quia expensæ illæ. fiunt in gratiam, & commodum mutuatiorum, videlicet ut majus damnum evitent, ne eogantur usurarios accedere; ergo si quis velit frui commodis montis, potest cum eo iniri pactum, ut pro sua parte ad illas expensas contribuat: dignum enim est, ut qui commodis alicujus rei frui vult, etiam contribuat ad illius rei indemnitatem, & conservationem necessariam

169 Nec dicas: Ministri montis pietatis, ac pignora deposita custodientes debent sustentari ab illo, cuius est curæ montem inde-

mnenm

mnem servare; sed hoc est Curæ Reipublicæ: ergo à mutuatariis nihil potest exigi pro Ministrorum sustentatione. Nam R. negando min. mutuatariorum enim est conservare montem indemnem; cùm utilitas ejus immediate non redundet in Rempublicam, quæ montem erigit, sed ad commodum, & levamen indigentium, quibus etiam erit onus alendi Ministros, & incumbebit illis aliquid administrare pro impensis Ministrorum.

Quæres, quæ utilitas montis pietatis? R. magna: nam pri- 170
mò impeditur peccatum usuræ DEO detestabile, & hominibus pauperibus valdè pernitiosum, & onerosum. 2. Beneficiò montis pietatis pecunia remanet in Patria. 3. Homines indigentes in omni eventu ad sua negotia ex hoc monte possunt statim habere pecuniam numeratam, idque facile. 4. Incolæ pecunij affluentes habent locum, ubi eam securè, fructuosè collocent. 5. Distractis pignoribus, restituitur, quod sortem, & detrimenta excedit, ubi usurarii totum pretium pignoris, etiamsi multò pluris valeat, sibi servant.

SECTIO DECIMATERTIA.

Quid, quotplex, & an licet exerceatur Cambium?

Nota, ille, à quo petitur cambium, dicitur *campsor*, *numularius*, *bongarius*, *cabilista*; ille verò, qui cambium petit, & ad eius petitionem alter commutat pecuniam, dicitur *compsarius*. Jam ad quæstionem.

R. 1. Cambium est *permutatio pecuniae*; *pro pecunia cum modérato lucro*. Ubi *permutatio* sumitur propriè ad distinctionem ab aliis contractibus, ita ut nihil aliud sit, quam ultrò, citròq; *datio rei pro re*, v. g. *pecunia pro pecunia*. Hinc distinguitur *cambium à mutuo*: quia hoc propriè non est *permutatio*; cùm non

non sit ultrò, citróque datio, seu traditio, perficitur enim traditione solius rei, quæ mutuò datur: nec includit redditionem æquivalentis, sed solum obligationem, ut post temporis intervallum reddatur æquivalens ejusdem speciei. *Permutatio* autem utramque requirit traditionem; nec censetur perfecta secundum suam propriam rationem, nisi utraque secuta sit traditio. Unde non solum res, quæ prior datur, sed etiam, quæ rependitur, dicitur *permutari*.

172 R. 2. Cambiū dividī in reale, & siccū, cambiū siccum dicitur, eò quod careat humore, seu vero titulo ad pariendū lucrum justum; re ipsa enim est merum mutuum, indéque sumptum lucrum est vera, & mera usura. Cambium reale est legitima *permutatio* pecuniae quoad valorem, vel quoad locum, ex qua justè aliquid lucri percipi potest. Subdividit in manuale, seu minutum, & in locale; manuale est, in quo pecunia unius formæ, vel materiae permittatur cum pecunia alterius formæ, vel materiae v.g. argentea pro aurea &c. Locale est, quando præsens pecunia permittatur pro absente in alio loco, quod plerūmque continet per literas, & quidem dupliciter, vel ut campsor priùs à campsario accipiat pecuniam alibi restituendam, vel ut ipse det alibi à campsario solvendam. Dicitur *manuale*: quia de manu ad manum eodem loco, & tempore perfici solet. *Minutum* verò dicitur, quia plerūmque pecuniae majores cum minutioribus commutantur.

173 R. 3. Ex cambio tam manuali, quam locali licitum est moderatum lucrum. Est communis contra Medinam, & Sotum. Prob. quia quandocunque lucrum accipitur ob titulum pretiō æstimabilem, est licitum, & justum; sed ex cambio tam manuali, quam locali accipitur lucrum ob titulum pretiō æstimabilem; ergo. Maj. est certa, min. prob. quia ex cambio manuali lucrum accipitur i. ob onus, quod campsor subit in cambiando, & pa-

& paratam habendo meliorem monetam ubique valentem. 2. Ob lucrum cessans ; nam sèpè contingit, ut una moneta plures, majores, eásque pretiò æstimabiles utilitates habeat : nam aurea moneta pretiositate materia præstat argenteæ grandioris monetæ : ut ducati &c. habent majorem commoditatem numerandi, transferendi , vel alias negotiationes instituendi ; antiquiores monetæ pondere, & puritate materiae novis prævalent. 3. Ob damnum emergens ; quia omnis generis pecunias congregando, semper meliores expendendo, & minutiores recipiendo , vix fieri potest, ut campsor damnum non patiatur ; sed si omnes tres sunt veri, & justi tituli in mutuatione ex numero 131. 138. ergo & in cambio manuali. Pariter & ex cambio locali accipiturlucrum 1. ob lucrum cessans, ex commutatione & absentia pecuniae in hoc loco, ubi aliàs lucrari posset ; vel ob damnum emergens. 2. Ob accessorium contractum locatae operæ ad formaliter, vel virtualiter transferendam pecuniam ad locum , quem campsarius vult. 3. Ob contractum assècurationis , vi cuius campsor pecuniae transferendæ securitatem permittit , & periculum in se suscipit: unò verbô præstat ut campsarius in alio loco securè recipiat ; átque utrùmque hoc maximè pretiò æstimabile est : nam si tu ipse Claudiopoli Viennam tuos 100. imperiales transferris deberes utiq; laborē expensas, & periculū subires, quò omni onere te liberat campsor , átque totum in se recipit ; ergo justam compensationem exigere meritò potest, & lucrum , & quidem eò natus, quò longius distat locus, ad quem cambium instituitur, & quò periculosior via.

Dices 1. Non minores commoditates habet parva pecunia,¹⁷⁴ quam major ; ergo si propter utilitates hæc pluris vendi potest, etiam illa propter suas commoditates poterit pluris dari ; & sic commoditates unius commoditatibus alterius compensantur. Ant. pater ; quia moneta v.g. cruciger magis utilis & commodus est

est pro quotidianis usibus, quām major v. g. grossus. 2. Non potest lucrari campsor ratione majoris valoris pecuniaꝝ, si semel lucratur ratione trajectionis; ergo. Ant. prob. si pecuniaꝝ tuis trajicis pecuniam tuam ad locum, ubi plus valet, ille major debet tibi durescere, & non trajicienti campsori; ergo. Ant. à pari: sicut si bajulus mercede conductus tuam pecuniam illuc deferret, nihil utique exigere potest ultra mercedem propter maiorem valorem, quem in illo loco pecunia est habitura.

Ad 1^{um} dist. ant. non minores commoditates habet parva pecunia, quām major quoad rationē monetæ præcisē conc. quoad cæteras circumstantias negoant: & consi. Sic pro imperiali inspe-
cie continente v. g. 40. grossos licitum est accipere 41. & hoc ob
commoditates, quas imperialis habet ultra grossos ob puritatem
materiæ.

Ad 2^{dum} nego ant. ad prob. pariter nego ant. ad paritatem
dico eam nimirū probare; quia probaret etiam, quod quando
pecunia trajicienda minus valet in loco, ad quem transfertur,
quām in loco, ubi campsori solvitur, non minus lucrum debe-
retur campsori, quām si eundem utrobique valorem haberet,
quod est contra omnes; hoc autem patet à paritate bajuli, qui
etiam in tali casu candem mercedem exigit, sive pecunia habeat
ibi æqualem, sive minorem valorem; nihilominus disparitas est;
quia campsor non solum trajicit, sed etiam assecurat pecuniam
solvendam in termino; certum autem est assecurationem tanto
plus valere, quō plus valet res assecurata, vel cum majori di-
spendio assecurantis est solvenda.

SECTIO DECIMAQUARTA.

An Societas sit Licta?

Nota 1. per societatem communiter intelligi à Doctoribus
conve-

conventionē duorū, vel plurium contribuendi ad cōmūnē quæstū, vel usū, cōmūnē lucrū dividendū & damnū cōmūnē sustinendum. Laym. l. 3. tr. 4. c. 20 n. 1. Lugo disp. 30. scđt. 1. Tamb. lib. 9. de contract. tr. 8. cap. 1. Dicitur *Conventio*: quia consensu, quo cūnque modo manifestato, ante actualem rei traditionem quoad substantiam in ratione contractū censemur perfecta §. unico *Instit.* *obligat. ex consensu*. Dicitur 2. *contribuendi*, ubi contributio non tantūm consistit in pecuniis, sed etiam in collatione industriae, vel aliarum rerum ad lucrum faciendum conducedentium; ita ut singuli retineant dominium rei à se collatæ, vel penes se solos, vel illud inter se communicent secundū proportionem contributionis dividendum; quo posteriori modo si res diversæ contribuantur v. g. unus pecunias, alter industriam, vel alia ad communem negotiationem necessaria conferat, videtur minus usitatè societas institui. Ratio est, quia hujusmodi rerum dominium minus aptè commiscetur, unde nec dividi potest. Dicitur 3. *commune lucrum & damnum commune*: quia sicut lucrum ex societate proveniens secundū proportionem contributionum æqualiter inter socios est dividendum; ita etiam ex ea damnum interveniens æqualiter ab eis (nisi aliter conventum fuerit) est sustinendum; juxta Reg. Juris 55. in 6. *Qui sentit commodum, sentire debet & onus*.

Nota 2. contractum societatis duobus modis iniri posse, prīmò, ut sit societas certæ rei, dum plures ad certum negotii genus convenient vel ut utérque pecuniam, vel ut unus pecuniam, & alter suam industriam conferat. Secundò, ut contractui societatis duo adhuc alii contractus accedant, scilicet assecuratio-
nis. & venditionis lucri in certi pro certo, v. g. si quis 100. de-
dit ad societatem, ut ex eis socii negotientur, & finita negotia-
tione petit 6. vel 8. pro 100. unā cum integra sorte, relicto ipsis
solum lucro majori incerto, quod sperari poterat, v. g. 20. vel

30. per 100. Ubi præter contractus societatis, intervenit etiam contractus assecurationis capitalis, & venditio lucri incerti majoris, pro minori certo.

Nota 3. tres hos contractus posse fieri per modum unius contractus innominati, *do & facio, ut des, & facias* nimirum: trado tibi hanc meam pecuniam ad negotiandum exponendo eam periculo, & privans me illius commoditate; & do tibi totum lucrum, ea conditione, ut tu eam negotieris, & te obliges ad reddendum capitale, & simul ad solvendum 6. per 100. Vel sic: si vis meam pecuniæ negotiari, & assecurare de sorte redienda terminatō annō, ac obligare te ad solvendum 6. vel 8. per 100. præsto tibi est mea pecunia, & concedam tibi totum lucrum. Ubi non sunt tres contractus à se mutuò indipendentes; sed unus solus omnia involvens, quæ utrīque sunt conferenda, & commutanda. His notatis.

176 Dico, contractum societatis esse licitum, & justum, si exactè observentur conditiones sequentes.

Prima est, ut negotiatio, in societate sit ex fine suo honesta, & licita. 2. ut inter socios lucra sint communia, pariter & damna, servata dicta proportione contributionis, nisi aliter sit conventum, ut diximus suprà. 3. ut pecunia detur ad negotiandum, aliàs non esset contractus societatis; sed mutui, & lucrum inde acceptum esset usura. 4. ut socius lubens, & volens contractum assecurationis ineat, ne ratione mutui virtualis ad illam obligationem coactus videatur; unde Scotus 4. *dijst:* 15. q. 2. §. de secundo articulo. ait: *Si unus ex contrahentibus lucrum ponat in tuto, & socius duntaxat subjiciatur damno, usura est.* 5. Ut lucrum certum. quod exigitur, sit adeò moderatum, ut attenta sorte, quæ confertur, & spe lucri majoris, compensentur onera contractus; hinc quantò majus, & certius est lucrum, minusque periculum amittendæ sortis, tanto plus exigi poterit.

Patet

Patet conclusio 1mò ex Jure Canonico cap. per vestras. de donat. inter virum & uxorem: ubi, si marito vergente ad inopiam, nec valente dare sufficientem cautionem pro dote uxoris conservanda, dos versetur in periculo; jubetur talis dos tradi mercatori ad societatem negotiationis, ut nimurum & securè apud ipsum conservetur, & ex ejus lucris possint onera matrimonii sublevari: atqui hoc fieri non posset, nisi cum mercatore in eantur tres suprà dicti contractus formaliter, vel æquipollen ter.

Patet 2dò ex Jure Civili L. si non fuerint. 29. pro socio dicitur: Ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat. Quod alia ratione fieri non potest, nisi contractui societatis addatur contractus assècurationis sortis.

Probatur etiam ratione: quia adiectis hic conditionibus, & observatis, nullus apparet nævus justitiæ in contractu societatis: cùm in eo nullum interveniat mutuum, sed præcisè sit formalis concursus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, sed solum collatam, dominio ipsius penes conferentem remanente, estque vera virtualis negotiatio, quam conferens suâ pecuniâ, mediante alterius industriâ intendit: nam pecunia negotiationi suâpte natura fructuose exposita per industriam negotiatoris, verè fit fructifera: atque fructificatio illa mediante mea pecunia facta, verè est pretiò estimabilis, nulli gratis debita; ergo pro illa fructificatione alteri concessa justè possum exigere pretium certum, etiam cum pacto assècurationis: quandoquidem onus illud assècurationis, & periculi à mercatore susceptum compensetur diminutione pretii, & cessatione majoris lucri sperati, & obtinendi à mercatore, ut diximus suprà, ergo.

SECTIO DECIMA QUINTA.

Summa titulorum aliquid lucrandi ultra sortem ex mutuatione,

177 **Q**uartuor titulos, seu modos tolerabiles accipiendi annuatim certum lucrum v.g. quinque per centum salvo capitali assignat Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 25. punct. 2.* apud P. Sporer *tr. 6. cap. 4. sect. 3. n. 18.*

Primus modus est *lucrum cessans*. secundus *damnum emergens*, tertius *periculum amittendae sortis*; de his, & annexis egimus *num. 131. 138. 144. & seqq.* quartus est *contractus societatis*, si ineatur cū pacto assécurationis capitalis, & lucri. De hoc *num. 175. & 176.* His addi potest quintus titulus, videlicet *pœna conventionalis*, de qua *num. 155. & seqq.* innui. Plures, si qui dantur tituli, eos reperies in aliis libris.

178 Ultimò tandem quidam *Anonymous conscientiæ* suæ stimulis agitatus quærerit *1mo*: An absque vitio usuræ exigere possit centum urningi tempore vindemiarum, pro centum florenis sive rhenensisibus, sive hungaricalibus mutuò datis? *2dō*: pro interesse quinquaginta florenorum rhenensium, quinquaginta diērum labores, v.g. messis, falcationis &c.? Et videtur *Anonymo* quod possint accipi; quia (ut ait) sèpè diurni labores aliquorum mutuatiorum sunt admodùm exigui momenti: & aliunde etiam tempore laboris eis datur sustentatio in cibo. *3to*: pro interesse duorum modiorum frumenti, unius diei laborem?

De his, & similibus sèpè interrogatus à pluribus, conformater ad *conscientiæ dictamen*, S. Scripturam, & SS. Canones sine ullo personarum respectu respondi; ubi veritatis responsio Rigoristæ, scrupulosi nomen, & rancorem peperit: nec miror;

nam

nam in malevolam id est cupiditate divitiarum , & usuris obdurate
 tam , & excæcatam animam non introibit spiritus sapientia , id
 est : spiritus recti consilii. Proinde hic tibi beneficio calami re-
 spondere , volens omitto ; sufficienter enim de his , & similibus
 superius actum est : ubi si tam generalia , quam particularia
 principia Scientias secum , seu modos recte , & licite agendi bene
 ruminaveris , servatis omnibus conditionibus diligenter annota-
 tis , perpendere poteris , num ex mutuatione centum florenorum ,
 quinquaginta rhenensium , & duorum modiorum tritici , damnū
 emergens , lucrum cessans &c. æquivaleant currenti pretio cen-
 tum urnarum vini , item quinquaginta operariorum , ac unius
 mercenarii stipendiis consuetis ? His bene perpensis , & intelle-
 ctis , tibi interroganti obvia erit responsio . Verum dum prin-
 cipia suprà dicta consulis , moneo ne tantum à limine Scientiam-
 secum saluta ; ne corticem vix penetrando , te medullam enu-
 cleasse puta : Facile enim iniquitas mentietur sibi : sed iterum ,
 atque iterum lege , relege , & ruminatis omnibus regulis ,
 circumstantiis , & conditionibus , quid Scientias secum ,
 potius dicam tecum Tibi dictaverit sequere ,
 & non aberrabis.

F I N I S.



ASSERTIONES EX UNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA.

De DEO Uno, & Trino.

I.

DEUM existere est veritas per se nota quoad se, non tamen ex terminis nota quoad nos Viatores. In hominibus perfecta ratione utentibus nec ad breve tempus dari potest ignorantia invincibilis de DEO.

II.

INter prædicata Divina absoluta, & necessaria major datur distinctio distinctione rationis ratiocinatarum: inter prædicata relativa datur distinctio realis personalis mixta identitate essentiali, quam Fides docet: Præter hanc admittenda est etiam alia distinctio in Divinis ad salvandas difficultates, quæ de natura, & personalitatibus in Mysterio SS. Trinitatis occurunt.

III.

VISIO DEI clara nulli creato intellectui connaturalis esse potest, cuius major perfectio potest refundi in majorem intellectus perfectionem: unde perfectior intellectus cum æquali lumine gloria potest producere visionem perfectiorem.

IV.

I V.

ET si creatura omnia formaliter , & eminenter contenta in DEO videret , non foret tamen comprehensiva visio . Datur in DEO scientia duplex scilicet simplicis intelligentiae , & Visionis ; non tamen Media inter utramque .

V.

DEUS videt creature possibles in sua essentia , tanquam in objecto primario , & medio prius cognito : non quidem tanquam in causa eas virtualiter continente in genere entis , sed in genere cognoscibilis .

V I.

DEUS cognoscit veritates futurorum contingentium in decreto condeterminante independenter à quacunque alia scientia . Conditionatè verò futura præscit DEUS per scientiam conditionatorum , ex decretis subjectivè , seu ex parte decernentis absolutis , & objective conditionatis .

V I I.

Datur in DEO voluntas , & actus voluntatis Divinæ in actu secundo liber ; qui constituitur per ipsum actu necessarium , quô diligit seipsum , non verò per aliquod complementum ab ipso DEO distinctum ; aut aliquem modum realiter superaditum essentiae Divinæ .

V I I I.

Providentia DEI est sapientissima ordinatio mediorum conducentium rebus omnibus creatis ad fines suos consequendos ; de illius ratione est consecutio finis universalis , non item particularis . Est dè rebus etiam minutissimis : *Aequaliter enim est illi (id est DEO) cura de omnibus .*

I X.

Electio efficax , seu prædestinatio prædestinati ad gloriam ut coronam probabilius sit post prævisa merita , quibus DEUS

DEUS inducitur, & movetur ad hos præ aliis eligendos, Sicut etiam reprobatio post absolutam demeritorum præscientiam: nam DEUS, *bunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum indignum &c.* ait magnus Augustinus.

X.

A Rcanum Divinæ Trinitatis Mysterium consistit in una singulari, & individua trium distinctarum Personarum essentia. Tres in eo dantur subsistentiæ relativæ; una absoluta, & communis.

X I.

D Uplex vera, & realis Processio in SS. Trinitate reperitur, Fili, & Spiritus Sancti. Illius processio est generatio, non hujus: nec quia ille ab uno, hic à duobus tanquam unicoprincipio spirante sed præcipue; quia ille est per intellectum, & naturaliter; hic per voluntatem, & liberè.

X I I.

EX dupli processione quatuor emergunt relationes, videlicet: Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva: omnes reales. Spiritus Sanctus etsi in hypothesi Græcorum non procederet à Filio, realiter nihilominus ab eodem distingvetur; *quia abduc effet idem DEUS, qui operatur omnia in nobis.*

De Angelis, Beatitudine, & Actibus Humanis.

X I I I.

Angeli sunt substantiæ spirituales, intellectivæ, simplices, naturaliter incorruptibiles, partim numerô, partim specie differentes. Arcana cordium certò & infalibiliter naturæ viribus cum solo concursu DEI generali possent cognoscere, nisi Divina voluntate impedirentur.

X IV.

X I V.

OMNES ANGELI conditi sunt in gratia. Erant in primo instanti creationis suæ physicè peccabiles. Primum Luciferi peccatum fuit quidam inordinatus affectus erga seipsum formaliter, qui appellatur Philautia, & radicaliter solùm superbia.

X V.

BEATITUDO CREATORÆ RATIONALIS prout convertitur cum fine ultimo, alia est objectiva, alia formalis. BEATITUDO OBJECTIVA est ipse DEUS; Formalis, & supernaturalis consistit in solo actu voluntatis.

X V I.

ACTUS HUMANUS, seu moralis, est actus voluntariæ, & liberæ elicitus cum advertentia ad regulam moralitatis. Ad imputabilitatem virtutis & vitii non sufficit libertas à coactione; sed requiritur libertas à necessitate, seu indifferentiæ.

X V I I.

POSSIBILE EST VOLUNTARIUM LIBERUM sine omni actu positivo. Dabilis quoque est actus humanus indifferens tam in specie, quam in individuo ad bonitatem, & malitiam moralen. Libertas & moralitas actuum humanorum est illis semi-extrinsicæ in acto secundo.

X V I I I.

USUS OPINIONIS MINUS PROBABILIS, ac tutæ contra tutiorem, ac probabiliorem toties licet, quoties in questione reflexa inquirent; an hic & nunc actio licet, quam sententia minus probabilis directè judicat esse licitam; non occurrit circumstantia restringens ad tutiorem, & probabiliorem: cuiusmodi est valor Sacramenti, aut Medici, vel Judicis officium.

De Peccatis, Gratia, & Merito.

X I X.

PEcatum actuale est, dictum, factum, vel concupitum contra Legem DEI æternam. Nec in ratione malitiæ, nec in ratione offensæ est simpliciter infinitum. Venialia peccata præcisè multiplicata nequeunt evadere mortale.

X X.

PEcatum habituale superaddit physicè præterito perseverantiam moralem: hæc bene explicatur per præteritionē physicam peccati actualis, conjunctam cum negatione omnis donationis, & satisfactionis condignæ.

X X I.

Gratia strictè sumpta est donum DEI supernaturale conducentis ad vitam æternam. Dividitur in actualem, & habitualē. Interioris gratiæ prævenientis necessitas ad quodvis opus salutare. etiam ad initium Fidei certa est contra Pelagianos, & Massilienses.

X X I I.

DE Fide pariter est contra Jansenium, & Quesnellum, in statu naturæ lapsæ dari auxilia gratiæ simpliciter sufficientia. Gratia habitualis, est qualitas permanens intrinsecè inhærens creaturæ rationali, eamq; justam & sanctam formaliter reddens.

X X I I I.

Meritum theologicum dividitur in condignū, & congruū. Ad utrūmq; requiritur, ut sit actus liber, honestus, & intrinsecè supernaturalis. Principium meriti essentialiter inclusum in merito, & ad hoc determinatè requisitum non cadit sub meritum.

De Virtutibus Theologicis.

X X I V.

DAntur virtutes per se infusæ Theologicæ, non Morales. Theologicæ

logicæ sunt Fides, Spes, & Charitas. Fides actualis Theologica est assensus præstitus ob authoritatem DEI loquentis.

X X V.

Objectum formale Fidei Theologicæ est authoritas DEI loquentis constituta per infallibilem sapientiam in cognoscendo, & indefectibilem veracitatem in loquendo. Excluditur ab hoc objecto formalí Fidei DEItas, fidelitas Divina &c.

X X V I.

Nec revelatio apparet, nec virtualis, quæ talis, nec universalis se sola sufficit ad singularia sub ea contenta credenda, nisi notitia singularium assumatur in complementum locationis Divinæ: Hinc:

X X V I I.

Fide Divina credendum est Clementem XII. nunc regnante esse legítimum Divi Petri successorem, & verum Christi in terris Vicarium. Religio Catholica est evidenter, prudenter credibilis, & credenda.

X X V I I I.

Non potest DEUS loqui amphibologicè quando sensus verus ex circumstantiis rectè perpensis deprehendi non potest, nec potest causare per se, ac principaliter errorem in intellectu creato.

X X I X.

Nequit DEUS mentiri, neque concurrere ad verum miraculum in confirmationem falsæ doctrinæ. Negans scienter unum articulum Fidei sibi sufficienter propositum, nequit alterum credere Fide Theologica.

X X X.

Fides Theologica quatenus est assensus affirmativus authoritatis Divinæ regulariter resolvitur in ipsam authoritatem Divinam supernaturali lumine propositam; quatenus verò affimat revelationem Divinam, ultimò resolvitur in ipsam revelationem

lationem Divinam propositam illustratione svasiva supernaturali.

X X X I.

Speii Theologicæ objectum materiale primarium est Beatitudo nostra supernaturalis ; secundarium verò omnia bona , prout conducentia ad salutem ; formale est bonitas objecti ut à DEO nobis promissi.

X X X I I.

Revelatio absoluta , & assertoria de aliquius damnatione est incompossibilis cum legibus modernæ providentiae ; potest tamen fieri absolute , & componi cum statu viæ.

X X X I I I.

Certitudo futura damnationis stat cum potentia merendi , nō tamē cum potentia proxima sperandi salutem. Certus de sua damnatione potest licet desperare desperatione negativa , nō autem positiva.

X X X I V.

Objectum formale Charitatis Theologicæ est bonitas Divina : quâ DEUS in se bonus est . DEUM tenemur diligere super omnia , saltem objectivè , & appretiativè.

X X X V.

Actus Charitatis in via profliens vi cognitionis ænigmatice DEI specie differt ab actu Charitatis in Patria , procedente ineluctabiliter à DEI visione intuitiva.

De Jure , & Justitia.

X X X V I.

Jus activum proprietatis est facultas legitima directè , & formaliter percipiendi commodum propriæ libertatis ex usu rei , seu moralis potestas disponendi de re ad libitum.

X X X V I I.

Dominium plenum , ac perfectum ejusdem rei in solidum non potest esse penes duos . Usus simplex facti in rebus etiam

etiam unico actu consumptibilibus est separabilis à dominio.

X X X V I I I.

JUstitia Virtutum moralium præstantissima, est constans, & perpetua voluntas tribuendi unicuique jus suum: propterea est Virtus moralis ad alterum.

X X X I X.

ANalogicè dicitur de justitia commutativa, quæ ordinat cives ad invicem; de distributiva, quæ ordinat communitatem ad cives; de legali, ac vindicatiya, quæ ordinat cives ad communitatem, quāvis diversimodè.

De Incarnatione Verbi.

X L.

Mysterium Incarnationis consistit in hoc, quòd Verbum Divinum catenùs Humanitatem assumpserit, quatenus in unitate Personæ Verbi duæ naturæ impermixtæ videlicet, Divina, & humana, subsistunt,

X L I.

Tanti Mysterii possibilitas creati ingenii aciem obtundit, adeò, ut naturali lumine positivè demonstrari non possit néque à priori, aut quasi à priori, néque à posteriori.

X L I I.

Poterit tamen negativè ostendi, dilucidè evacuando quæcunque adversus illam impiè objectantur. Unio hypostatica Verbum non immutat intrinsecè, quāvis illi de novo adveniat.

De Sacramentis in genere, & specie.

X L I I I.

Sacramentum novæ legis est signum sensibile Gratiam DEI, vel esse-

effectu m DEI gratuitum ex institutione Divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Sacraenta sunt septem, omnia à Christo Domino immediate instituta.

X L I V.

Omnia Sacramēta novae legis ex opere operato causāt Gratia in eo, qui rite dispositus illa suscipit, & probabiliūs solūm in genere causæ moralis. Alia sunt vivorum, alia mortuorum.

X L V.

Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimūt characterē, qui est qualitas physica, permanens, ac entitatibꝫ supernaturalis, & ex sua natura indelebilis. X L V I.

Eucharistia est Sacramētū Corporis, & Sangvinis Christi, sub speciebus Panis, & Vini. Materia ejus remota est panis, & vinum de vite. Aqua de præcepto Ecclesiæ modica admiscetur, quæ mediatae convertitur in sanguinem.

X L V I I.

Sacramētū Pœnitentiæ vel in re, vel in voto necessariū est necessitate medii lapsis mortaliter post Baptismū. Essentia ejus cōsistit in sola Sacerdotis absolutione: essentia verò formæ salvatur his verbis: *Absolvo te.* X L V I I I.

Absolutio Sacramentalis nequit solis nutibus cōferrī; imò nec vocibus, quæ se independenter à circumstantiis nō significant esse etū Sacramentalē. X L I X.

Si Sacramētū Pœnitentiæ sit informe, probabiliūs simul est invalidū. Nō datur onus explicandi in Cōfessione circumstantias peccatorū aggravantes, uti nec alleviantes, sed solūm mutantes speciem. L.

Extrēmā Unctionē validē cōfert omnis & solus Sacerdos. Matrimōiū sibi invicē ministrat cōtrahentes. Cōsumatū est jure Divino indissolubile. Ratū dissolvi porest, & re ipsa solvitur Professione religiosa.

O. A. M. D. G.

